

4114/15
Oratio

DESTINATA
FVNERI NOBILISSIMI,
DIGNITATEQ; ET VIRTU-
te amplifs. Viri, IOHANNIS CHRIS-
TOPHORI A' BERNSTEIN,
ad Bortum, ex equestri vetustifs.
celebratissimæq; nationis
Myforum ordine.

Qua tam domus Bernsteinia
primordia & res gestæ præcipuæ,
quàm vita Iohannis Christophori,
breuiter delibantur.

Pietatis, officij, perpetuæq; ob-
seruantia ergò

à

REINERO REINECCIO
STEINHEMIO.

Lipsiæ.

78L 1266 (6)

AD AVCTOREM V. CL.

ἐγκωμιαστικόν.

EXIGVVM colito, laudato ingentia rura

Docens colonos aut poetarum Plato.

Tu simul historiae campos Reinere per amplos

Erras, vireta perq³ amena amallium.

Ingeniq³ stylo colis haec, torpere nec illos

Sinis veterno, non subactos vomere.

Par in utrisq³ labor, par est solertia, laudis

Manetq³ cultus par virosq³ gloria.

Ergo laude magis tuus est quam crimine dignus

REINERE sudor, quo domus BERNSTEINAE,

Quae terris merita, & titulos equavit Olympo,

Transcribis auro gesta cum primordiis.

Haud cultu ullius stirps tam longeva colentium,

Quam seminari talibus scriptis potest.

At veluti multo tellus sata fenore reddit:

Sic quod laboris est suorū stemmati

Impensum, referet fatis erepta tuarum

Vivacitate paginarum gens memor.

Non labor in tenui est, tenuis nec gloria, chartis

Stirpis vetustae origines intexere.

Gregor. Bersmanus.



Kapsel 78 L 1266 [6]

L 39

AK

ANTIQUA GE-
NERIS EQVESTRIS
NOBILITATE, LITERIS
& virtute ornatiss. IOHANNI GEOR-
GIO & IOHANNI SIGISMUNDO,
germanis fratribus gentis Bernsteinæ,
amicis suis plurimum colendis
S. D.

REINERVS REINEC-
cius Steinhemius.



QVOD ORATIO
mea, Bernsteinij fratres,
qua nobiliss. ac pientissi-
mi viri, patris vestri,
patroni optimè de me
meriti, sempiternaq; me-
moriam colendi, manibus
non lessum facere, quem-
admodum habent XII. tabularum leges, hasq;
secuti Plautus & Cicero, sed parentare ex offi-
cio, ἢ χάρις ἢ ἐκ ὁμολογῆν, studui, typis est emul-
gata tardius, nulla quidem culpa mea accidit,
A 2 sed

sed quod qui esse volumus, non semper nobis esse liceat. Ac sæpenumero aurem vellebat Horatianum istud:

Nonumq̄₃ prematur in annum.

Membranis intus positis, delere licebit,

Quod non edideris: nescit vox missa reuerti.

Neg₃ enim probamus, quod Satyricus insectatur, iamq̄₃ iterum passim regnat, insanabile scribendi cacoëthes, quo quiduis, seu, ut aiunt, quod in buccam venerit, chartis illinitur, itaq̄₃ illinitur, ut non quo studio, opera, cura, sed quàm properanter, quàmq̄₃ verbose, non dico elaboretur, sed effundatur, spectari ac commendari soleat. Nam ei instituto rectè opposuerimus, quod de Persio scripsit Martialis:

Sapius in libro memoratur Persius uno,

Quàm leuis in tota Marsus Amazonide.

Quapropter veniam dabitis, meq̄₃ parte ista quod potui, præstitisse statuetis. Nam quod volui, dicere non debeo, cum argumentum tale sit, cuius amplissimam culturam ac dignitatem sterilis ingenij nostri agellus non capiat, sed ipsa
potius

potius latifundia deponat. Restat ergo, vos non horter, sed obtester & orem, ut conatum non improbetis, & ea studia, quae semper in nobilibus domo vestra viguere, hoc est, secundum religiosam pietatem & armorum tractationem, opt. artium & disciplinarum amare, colere, & iuuare perseveretis. Id enim maiorum exempla, id patris memoriam à vobis exigere existimabitis. Nec alia ad nominis immortalitatem, ad gloriam, ad honores, via expeditior est. Recte quoque & praeclare apud Xenophontem Cræsus: τέχναι πηγὰ τῶν καλῶν.

Item Menander:

Βίου ἐνεσι μὲ ἀσφάλει ἐν ταῖς τέχναις.

Forstian tamen haud deerunt Critici (vetus est enim ea invidia & malevolentia soboles, vetus Eueni istud:

Πολλοῖς ἀντιλέγειν μὲν ἔθ' ὡς παντὸς ὁμοίως,

Ὁ ἑθῶς δ' ἀντιλέγειν, ἐκ ἔτι τοῦτ' ἐν ἔθει.

vetus denique, quod ex Demosthene Nassianse-
nus repetijt: Ἰπτιμαῖν ἐπὶ παντὸς, ἐπανορθοῦν
δ' ἔ παντὸς) qui utrunque noui exempli rem

A 3 esse

esse obgnire aufint, & quòd equestris familia historia proferatur in lucem, & quòd Latine ei parentetur, qui Latinae linguae gnarus non fuerit: cum neq₃ illum laborem tentasse ad talem modum haectenus quisquam videatur, & is nostro seculo magis inoleuerit mos, ut Latine non nisi Latina lingua, omniumq₃ disciplinarum scientia, praclare doctis, aut summorum ordinum proceribus, istud postremum quasi officium persoluatur. His respondeo, diligentiam illam, quae in equestrium familiarum historia eruenda atq₃ illustranda collocatur, adeò reprehensionem nullam mereri, ut potius vir opt. & in omni iudicio elegantissimus, tum varia exquisitaq₃ doctrina eruditione & copia clariss. GEORGIVS FABRICIVS, qui quoad vixit, me & labores meos summo quodam favore complexus fuit, nec raro consilio atq₃ ope sua subleuauit, quemq₃ ego vicissim ut praceptorem colui, colamq₃ dum vita suppetet, in laude posuerit, & in eam familias equestres ipsas omni contentione incumbere curam optarit,

DEDICATORIA.

rit, ut certam maiorum seriem, certas etiam res gestas haberent: quippe è quo instituto non possit non is fructus germinare, quem Salustij historia in Scipionis et Fabij Maximi exemplis depinxisset. Ad alterum hoc intulisse sufficiat, pietatis officia ut quouis loco & tempore, sic etiam quavis lingua praestentur, nihil prohibere. Et numne conditionem nostram, qui bonas litteras tractamus & colimus, eorum, qui Ecclesiasticis concionibus praesunt, hac parte deteriorem ducemus? Quot enim cotidie horum id genus declamatiuncula euolant? non reprehendenda illa quidem, sed quas exemplo non dissimili emulari rectè posse videamur. Enimvero quae partes mihi incumbunt, ut nec merita, quibus patri vestro obligatus sum, nec diem, quae perpetua Fel. in Fastis ascriptum nomen habet, meq; ad illum tanquam patronum, ad vos informationis gratia adduxit, non deniq; benevolentiam & necessitudinem, quam tam longo tempore vobiscum constitutam habeo, animo meo effluere unquam patiar, eas
 qua



qua par est fide tuebor. Agitur enim, ut sci-
 tis, iam annus decimusseptimus, ex quo Vuite-
 bergæ apud affinem meum, ABRAM-
 MVM VVERNERVM, Doctorem
 Medicum, qui tunc ibi πολιάρτου munere dis-
 ciplinæ istius πρυτανεία, postea verò professorem
 publ. egit, conuictus nos primum coniunxit.
 Post biennium, id est, anno supra millesimum
 quingentes. sexagesimo sexto, ubi vos docendi
 munere se abdicauit Quirinus Thalmanus (is
 enim Donato Grossio, quem omnium primum
 in academijs præceptorem habuistis, succeffe-
 rat) in idem ego, quo dixi die, surrogatus sum.
 Cumq; mox sequenti æstate dira quadam et son-
 tica pestilentis luis contagio nec Vuitebergæ, nec
 in vicinis academijs, consistere nos pateretur,
 Et pater, homo, inquam, longè in posterum
 prospiciens, semperq; in id, quod vobis ex usu
 esset, excubans, ubi sapientissimum virum,
 tamq; generis nobilitate, quam ampliss. digni-
 tate, literis, rerum usu Et virtute spectatissi-
 mum, CHRISTOPHORVM CA-
 ROLO-

ROLOVICIVM, tanquam propinquum
 & necessarium, in consilium adhibuisset, de eius
 sententia vos aliqua lingua Boiemicæ cognitio-
 ne imbui vellet, primum quidem Zatecium, de-
 inde, sed ad modicum tempus, Austiam missi
 sumus. Siquidem & hæc tandem loca pestilen-
 tia infecit, fermeq; nos oppressit: Cum interea
 vobis condiscipuli adiuncti essent Johannes
 Henricus Schönbergius Vuolfgangi F. & ex
 ipsa gente Boiemicæ duo fratres Michalouicij.
 Idcirco in Germaniam reuersi, Jenam & inde
 Lipsiam commigrauimus, mansimusq; coniu-
 ncti, donec fratrem Johann. Bernhardum &
 Schönbergium morbus, et lingua Boiemicæ ple-
 nius perdiscendæ amor, tum etiam incredibile
 peregrinationum studium, auulsere, te verò,
 Johann. Georgi, & Michalouicium alterum,
 exteris academijs videndi, ibiq; studium Ju-
 risprudentiæ persequendi, cupido incessit, cum
 vos quidem iam in disciplina & contubernio
 meo sexennium traduxissetis, & eos in artibus,
 eos in lingua utraq; profectus fecissetis, ut emo-

B

lumen-

lumentum ex illo instituto non vulgare expectare possētis. Rediit tamen mox tibi, Johann. Sigismunde, studiorum socius fratrum tum natu minimus, Johannes Abrahamus, & aliquanto antè viuere nobiscum cœperat gentilis vester, Casparus, Johann. F. Unde factum, ut Lipsiæ omnium diutissimè substiterimus, et procul dubio substitissemus diutius, nisi me necessitas quadam Vuitebergæ retraxisset. Erat enim opera nostra ad Fabricianas stirpis Saxon. origines pertexendas illustris. Electori Saxon. obligata, & sedem capere Vuitebergæ iussi fueramus. Quare cum isthuc haud satis auspiciatò, (nam ita exitus acta probauit, ut cum Poëta loquar) rediissemus, cum alijs me casus affligerunt, tum de vobis euenit, ut Johann. Abrahamum repentinus & inopinatus morbus extinxerit, tibi verò, Johann. Sigismunde, quem in Ebrææ linguæ cognitione acquirenda tenere cursum cœperas, urgere atq; absolueri in alijs Germaniæ academijs libuerit, idq; posteaquam climactericum nouenarium (visum enim fuit

& hanc

mum, & eloquentiū iurisperitissimū, FRAN-
 CISCVM HOTOMANVM, tum Bitu-
 rigibus docentem, audire constitueras, simul in
 Italia peregrinationes, molestiarum summiq;
 discriminis expertes fuisse, scimus: cum impro-
 ba quadam fortuna isthic quidem horribilis in
 homines innocentes, quos aduersarijs illorum
 fortuitò quidem, ut aiunt, sed haud scio, an non
 ipsis auctoꝝ fatali nomine, Hugonotos ap-
 pellare libuit, laniens, & post homines natos
 inaudita perfidia, execrandum atque immane
 spectaculum obiecerit: hinc pestilenti contagione,
 qua Venetijs ades, in quas diuerteras, subito in-
 fecisset, ut inde ex gentis seueriore disciplina per
 tempus bimestre egredi non liceret, sic irreti-
 tum tenuerit, ut tantum non letho dederit.
 Taceo, ut Romæ conscelerati et perditii quidam
 te allatrare, atq; ad exitium vocare, ausi fue-
 rint. Tu verò, Johann. Sigismunde, etsi pater
 intra Germaniæ limites te remanere maluit,
 (vixisti enim iterum Fens, deinde in hac nostra
 & Marpurgensi Chatterū academia) tamen
 & ipse

Et ipse passus eo manes tuos, secundum Poë-
 tam, videris, quòd ad summum exquisitæ do-
 ctrinæ gradum ascendere parantem, mors pa-
 tris interpellauit. Verumenimuerò, inuia vir-
 tuti nulla est via, quemadmodum cecinit Oui-
 dius: Et plus pia vota, cumq; his coniuncta
 acris quædam diligentia, studium, labor, quàm
 vel aduersa fatorum vis, aut fortune impo-
 tentia possunt. Quare sic etiam accidisse cerni-
 mus, ut non vulgaris eruditionis commenda-
 tio vobis accesserit: cum alter præter linguas in
 scholis traditas, Latinam dico Et Græcam,
 etiam Italicam Et Gallicam usum aliquem, in pri-
 mis verò Jurisprudentiæ scientiam sibi compa-
 rarit: alter cum Latina Et Græca ita Ebraam
 coniunxerit, ut non primo veluti in limine sa-
 lutasse, sed in ipsa penetralia progressus videat-
 tur: uterq; verò præclare in artibus profec-
 rit, Et ex aliquo nostro ductu mirificè antiqui-
 tatis Et historiarum tractatu delectetur, de-
 niq; profectum à maioribus generis decus pro-
 pria ornare virtute studeat. Quapropter id

mea, id omnium expectationi largiemini, ut
 vestri quam similimi esse pergatis, eamq³ vobis
 aduersariam grauissimam constitutam duca-
 tis, ut de Ecclesia, republica, literis, quam opti-
 me mereri enitamini ac contendatis. Quod ad
 me attinet, peto eam mihi beneuolentiam ve-
 stram, qua semper me complexi fuistis. Ego in
 vobis animi mutui studijs colendis ea officia
 reddam, quae debita vobis proficisci à me omni
 loco, omni tempore possunt: Bene & feliciter
 valete. *Francofurto ad Viadrum,*
M. VIIbr. D. XIX. CLD. ID. XXC.



Oratio
DESTINATA FUNE-
RI NOBILISSIMI, DIGNI-
TATEQVE ET VIRTUTE AMPLISS.
viri, IOANNIS CHRISTOPHORI A
BERNSTEIN, ad Bortum, ex equestri ve-
tustiss. celebratissimæq; nationis
Myforum ordine.



I, quod mortali-
bus optare fas & lici-
tum est, pari conditione &
iure in potestate nostra po-
situm foret, nequaquam
nunc sepulturæ traderemus
nobilissimi, omniq; virtu-
tum genere cumulatissimi
viri, IOANNIS CHRIS-
TOPHORI BERN-
STEINII, exuias, neq; è funere, quod & debetur
& ducitur ipsi modò honorificentissimum, planctu &
lamentis, profectis non à maleficis & simulatricibus
præficis, verùm ab ijs, quos ex officio, virtutisq; res-
pectu, habebat in carissimis, & à quibus vicissim non
solùm diligebatur, sed etiam amabatur, colebatur,
obseruabatur, omnia perstreperent, sed vniuersorum,
quotquot assumus, quotquot etiam fortè nouerunt,
aut recti studium non auersantur, communi voto ille
ceu desideratissimum & eximium Ecclesiæ & reipub.
præsidium, ordinis & familiæ suæ decus, vxoris, libe-
rorum,

Oratio in funere

rorum, propinquorum columen, amicorum & bonorum perfugium, superstes atque incolumis floreret. Quis enim tam in Mysorum natione hospes est, qui ignoret, Bernsteinium, quàm diu in vita fuit, religiosæ pietati mirificè & cum primis studuisse? Nec minus ei rempub. debere, fateamur necesse est: & habet, quod iure de eo tam antiqua generis nobilitate, quàm virtute & literis ampliis. Bernsteinia dõmus gloriatur: suntq; in plurimos, è quibus me ipsum rectè loco principe nominârim, merita eius in medio. Verùm ista scilicet nunc omnes in lucem hanc lege fatoq; edimur, vt mortalitati, quæ secundum Ecclesiæ doctrinam, vitij & labis à primis parentibus, malitia & fraude Diaboli à Deo abductis, in totum genus humanum propagatæ, & quicquid aliorum ^{est} & flagitiorum & scelerum verissimæ cuiusdam procreatricis, stipendium est, subiecti simus, sic vt ad eam mox ab ortus nostri primordijs, ceu ad destinatam metam, contendamus. Rectè enim Horatius:

*Pallida mors equo pulsat pede pauperum tabernas,
Regumq; turres.*

Quantquam hanc ipsam mortalitatem potius commutationem quandam, quàm vel μετεμψύχωσιν, vt futili & stolido commento veteres Pythagorici & Druides Gallici, vel simul corporum, simul animarum interitum, vt furiosè Epicurei, & in Iudæorum sectis Sadducæi, finxere, afferre scimus: ipsis nimirum animabus ex eo statu, quem huius vitæ stationem relinquentibus sacræ literæ attribuunt, in nouissimo die ad cœlestis tubæ clangorem sic in corpora sua redituris, vt pij
qui-

Iohan. Christoph. à Bernstein.

quidem, hoc est, qui Filij Dei, τὸ σωτήρ, Messiaëq; vnici, meritis & satisfactione confisi, ex misericordia Dei hoc se propitio & placato vti, certa & firma assensione persuasum habent, vnà cum Deo sanctisq; Angelis post hanc miseram, caducam, & omnibus fortunæ iniurijs obnoxiam vitam, æterna beatitate fruuntur: impij verò, hoc est, qui Spiritus sancti magisterio id beneficium amplexi non fuere, è seuera iusticia Dei, vnà cum hostibus Dei Diabolis, itidem perennibus horribilibusq; cruciatibus destinentur atque affligantur.

Interea nos, quoad eandem lethi viam calcemus, quemadmodum alibi loquitur Horatius, decet ita doloris acerbitati moderari, vt memoriam Bernsteinij defuncti, vel potius ad modicum tempus à nobis auulsi, omni officio colamus. Quod cum eo pacto fieri rectissimè posse animaduerterem, si genus, si natales, si maiores, quibus procreatus esset, deniq; si quæ de tota eius vita maximè memorabilia se offerunt, non ignorarentur, sumere mihi grati, adeoq; à me vehementer debiti, studij testificandi ergò operam eam visum fuit. Etenim vt nihil de me præterea afferam, satis è veterum monumentis liquet, qua religione institutum istud celebratissimæ gentes, Aegyptij, Græci, Romani, obseruârunt. Nam vt illas duas taceam, hi quidem matronas quoq; defunctas laudare pro Roftris non dubitârunt. Et cum effera illa Imperatorum Romanorum impietas atq; sæuitia grauitè primæuam Ecclesiam vexaret, haud dissimilia Martyrum introducta præconia fuere. Neq; obscurum est D. Ambrosij

C

exem-

Oratio funebris

exemplum, qui eodem modo summos Imperatores, Valentinianum, Theodosium, & Gratianum celebrauit. Adderemq; cetera sequentium temporum exempla, nisi res illa tandem (fortè vt contrario instituto de Imperatoribus Romanis in Deorum numerum referendis ritus, cuius insignem descriptionem habet Herodianus, repræsentantq; nummi, qui extant, aboleretur) in inanes & superstitiosas *ἀποθεώσις*, seu, vt vulgò loquuntur, canonizationum caremonias conuersa fuisset.

S E D procedat nunc expositio ipsa. Principiò vt gentis Bernsteinia primordia enucleemus, attribuebat huic Georgius Fabricius originem *ἐγχαρίαν*. Eius sententiæ, quas rationes aut coniecturas secutus sit, non habeo compertum. Iohannis Stumpfij Chronicon nominis huius familiam inter Helueticas recenset, & eadem prorsus gentilitia insignia cõmemorat. Reperiasq;, qui Heluetiam ante populares istos motus, vnde hodie celebres illæ democratia reliquæ sunt, vltra mille nobiles familias habuisse, affirmant, sic tamen vt pleræq; longè antè in alijs Germaniæ prouincijs sedem ceperint. Rectè igitur mea opinione Helueticæ stirpis Bernsteinios crediderimus. Sunt autem, qui hac tempestate Heluetiorum ciuitate censentur, maxima parte Alemanorum reliquia. Hi enim præter ipsam Heluetiam & Rhætorum & Sueuorum finibus potiti, regnum ibi amplissimum condiderunt, eamq; nominis celebritatem adepti sunt, vt hodie etiamnum externis aliquot gentibus id de Germanis communiter in vsu sit. Durauit istud Alemanorum regnum vsq; ad L v-

Iohan. Christoph. à Bernstein.

D O V I C U M I. (vulgus scriptorum Clodoucum vocat) è **M E R O V I N G O R V M** stirpe regem Francorum in Gallijs. Is enim acri bello gentem adortus, cum res ad prælium deducta esset, & vtrinq; summis viribus certaretur, quod pertinaciter ante recusarat, Christianismum vouisse fertur: itaq; victor factus, hostem debellatum Francici imperij iugum accipere coëgit, & regnum ipsum aboleuit. Cœpitque ab hoc tempore Sueuorum reuocari nomen: vti patrum memoria fœderibus suis (vnde etiam finitimorum consensu denominationem tulêre) & rebus bello fortiter gestis, Heluetij inclaruerunt: Alemanorum nomine in nostra lingua ita obtrito, vt tantum intra Alouia limites confiterit. Nam ea appellatio *κατὰ συνηθειάν* è pleniore Almangoro contracta est, & significato exprimit Alemanorum regionem vel territorium. Ceterum, quo tempore, quauè ex causa, Bernsteinij in Mysniam migrârunt, quia admodum segne & negligens fuit in eiusmodi rebus notandis, ac memoriæ prodendis, superius seculum, neque ipsi, quibus hoc doceri possit, monumenta certa habent, nec, quod sciam, annalium mentione traditur. Ego ex Alberti historia, quam paulò post perstringam, probabiliter colligo, id à **F R I D E R I C I B A R B A R O S S A E** imperio accidisse. Nec repugnârim, si cui occasionem repetere libet de antiquissima gentis nostræ militandi, & stipendia faciendi, consuetudine: quippe quæ etiam Saxonica stirpis Principibus ad Gallia, Lotharingicæ, Limburgensium Ducum ad Lusitaniæ regna aditum aperuerit: & **V V E L F O S**, à quibus Electorum & Mar-



chionum Brandenburg. domus est, in Germaniam red-
 duxerit. Quia enim prisca illi Mysnenses Marchiones,
 continentibus ferè bellis cum Boiemis contendebant,
 ideoq; perpetua alere in finibus præsidia cogebantur,
 forsitan Bernsteinia gentis quispiam conducere operam
 suam passus fuit: aut, si cui ea magis arriserit coniectu-
 ra, per istud tempus, quando THEODORICO Mar-
 chione euocante, FRIDERICVS II. Cæsar in Mys-
 niam aduenit, inter reliquos auxiliares ibi remansit.
 Nam hunc Principem suos alieniores expertum, cum-
 que inde factiones exarsissent, ad Cæsaris opem con-
 fugere coactum, perhibent. Nec negari potest, Mys-
 niam etiam alias ex alijs Germaniæ partibus, & præci-
 pue quidem è Francia & Saxonia, colonias accepisse.
 Cùm verò diuersis iam meritis Marchioni se Bernstei-
 nius commendasset, fieri potuit, vt bona aliqua, &
 fortè eum ipsum tractum, vbi nunc arx & opidulum
 Bernsteinum est, præmium tulerit. Enimuerò hoc in
 familia Bernsteinia constans fama tenet, cùm antea eo
 in loco vasta solitudo fuisset, arcem Bernsteinum ma-
 iores suos à fundamentis condidisse, totamq; illam
 oram primùm excoluisse. Nec obscuris annalium te-
 stimonijs docemur, eadem arce Marchiones Mysnen-
 ses instar propugnaculi aduersus Boiemos vsos: Vt
 augurari coniectura libeat, ideo Bernsteinios ibi col-
 locatos, vt contra hostiles gentis illius irruptiones in
 perpetuis veluti excubijs essent. Neq; enim, si id cui-
 piam parte hac scrupulum iniiciat, Germaniæ & finiti-
 marum prouinciarum antiquitùs qui nunc status erat,
 non etiam tam certa & stabilis pax colebatur, sed inter
 Mar-

Iohan. Christoph. à Bernstein.

Martias gentes assidue quoq; Martia studia vigeabant. Credibile est autem, de familia arci nomen positum, vt conditorum perenne quoddam monumentum esset. Nam quod fama principium vulgavit de vrsis duobus in ea ipsa rupe, in qua Bernsteinum situm est, à Bernsteinio, qui fortè fortuna cum venatum iuisset, in belluas illas inciderit, confectis, potius ad alteram arcem Berenfellsum refero. Neq; opinor aberrauerimus, si à simili euentu gentilitia insignia, id est, vrsum erectis pedibus in clypeo albo stantem, profecta statuamus: Cùm nomen fortè de alia in Heluetia, vel arce vel prædio cœpisset. Etenim Stumpsius Berensteinios possessiones suas in vicinia Constantiæ & Schafhusij habuisse, ait. Estq; affinis sono vrbs Bernæ denominatio: cui cùm nostræ linguæ enunciatione respondeat Verona in Cisalpina Gallia (nam & hæc Germanis Berna dicitur) à THEODORICO AMALO, rege Ostgotthorum (fuit enim diuersus ab eo THEODORICVS BALTHVS, rex Vvestgotthorum, qui in prælio aduersus ATTILAM occubuit, & alter THEODORICVS Afer, de quo è Suida nota memorabilis illa historia Diaconi puniti, qui Domino suo, Ariani dogmatis sectatori, se gratificaturum existimans, ab orthodoxis ad Arianos transierat: cùm contrà Theodoricus ei exprobraret: Si Deo fidem non seruaret, neque aduersus homines sanam mentem retenturum) sumi discrimen consuevit.

Primus è Bernsteinia gente celebratur ALBERTVS, auratæ militiæ Eques. Interfuit enim ludis equestribus, quos VVELFVS IIII. Rex Sardinæ, &

Oratio in funere

Dux Bauariæ, Tiguri fecit anno supra millesimum centesimum sexagesimo quinto. Quanta dignitate, quàm etiam re ampla fuerit, manifestè id arguit, quòd inter paucos, qui suo sumtu isthuc se deportârunt, primo loco nominatur, nec ad vllius Principis obsequium vel clientelam restringitur, vt non tam ex officio, quàm ostendendæ virtutis causa affuisse videatur. Nec (vt hoc obiter moneamus) equestris auratæ militiæ dignitas ea tempestate, ita vt nunc moris est, conferebatur, nempe vt reges gladio stricto leniter feriant humeros eorum, qui hunc ordinem affectant, istaque sola cæremonia promiscuè Equites faciant, non ex nobilitate tantùm, verumetiam mercatores, & quicumque præ ceteris in honore esse volunt, sed erat præmium fortitudinis. Quemadmodum enim apud Romanos florente Repub. tantùm ij ductores bellici Imperatores salutabantur, qui insigni aliqua clade hostem affecissent: ita ad equestrem dignitatè neminem admitti solitum accepimus, nisi qui septem iustis prælijs interfuisset, & in singulis aliquo fortitudinis specimine edito, reliquam vitam omnem secundum virtutem egisset.

Propagatam autem ab ALBERTO reliquam Bernsteiniam familiam, pro comperto existimatur: licet continua posterorum series deduci nequeat. Nam, vt antè monui, segniter eiusmodi rerum memoriæ superior ætas studuit. Et quæ id genus monumenta Bernsteinij habuère, maxima ex parte Ottendorfi prædij conflagratio absumsit. Nec mirum videri debet, equestrem domum vitium fecisse, quo plerasq; summorum

Iohan. Christoph. à Bernstein.

morum Regum & Principum non carere scimus. Interea tamen è diplomatibus, quæ Bernsteinia familiae de possessionibus suis reliqua sunt, satis constat, Bernsteinium arcem semper ei mansisse. Etsi enim ALBERTI Princ. (fuit is Augusti Electoris auus) temporibus, à Iohanne (hunc Iohannes Christophorus auus habuit) venditum fuit, mox tamen Christophori F. opera ad eum redijt. Neq; obscure eadem diplomata de stirpis Bernsteinia per aliquot secula propagine & serie testificantur. Quibuscum ea insuper conueniebant monumenta, quæ apud Iohann. Christophorum mihi videre contigit. Taceo, cum nobilibus familijs omnibus solenne sit, vt multarum de maioribus narrationum quandam quasi custodiam agant, idem institutum etiam in Bernsteinia durasse. Quare his quasi fundamentis innitens, ita ea deinceps de Iohannis Christophori maioribus attextam, quæ maximè ἀξιόλογα videbuntur. Nam omnia singulatim persequi, nec argumentum, nec locus ferebat.

Proximum igitur ab ALBERTO diplomata & monumenta, de quibus diximus, memorant REINOLDVM: qui cum anno Christi M. CCC. decesserit è vita, fuerit retrò ad Albertum tempus intermedium annorum circiter centum. Porrò autem à Reinoldo generis fatus, & quasi per gradus deductio, potissima parte sibi cõstat. Tantum enim eius vt nomen, ita & gentilitas ignoratur, qui inter MATTHIAE CORVINI, regis Vngariae, bellatores existimatione præcipua claruit. Historia cum memorabilis sit, hic eam infero. Amabat Rex Bernsteinium ob singularem virtutem animiq;

animiq; magnitudinē, atq; in fidissimis numerabat. Fortē euenit, vt cū in arce Budensi animi causa deambularēt, & Leonum antrum præteriret, is, qui in belluas imperiū habebat, vni ex his carnes proijceret. Ibi Rex seu seriò, seu ioco, Bernsteinio imperare, si tantū audaciæ haberet, escam Leoni adimeret. Bernsteinius, à quo & apud quos testes hæc dicerentur, secum reputans, sine vlla vel tergiuersatione vel excusatione ad facinus aggreditur: & sinistra manu veste obuoluta, dextra gladium corripit, itaq; in antrum descendit. Leo eo conspecto, statim è faucibus carnes dimittit, & fugam spectat. Quare cum Bernsteinius carnibus ablati ad Regem reuertisset, cum admiratione quidem excipitur: verū id virtutis experimentum periculosum, seq; indignum, ratus (quis enim tanquam per ludum immanis feræ vitam suam exponeret?) operam suam Regi denegat, & domum discedit.

SED redeo ad REINOLDVM. Hoc editi nepotes, Vvenceslaus, patre eiusdem nominis, Seuerus, Petro patre, cū bonarum literarum studia amplexi essent, titulum Doctorem Iureconsultorum adepti sunt. Nam hunc eam dignitatem habuisse constat, vt cum equestri conferretur, imò SIGISMVNDVS Cæsar Doctorem Equiti præferre non dubitârît: & cū à Principibus literarum rudibus repræhenderetur, quòd etiam obscuro loco natos ob eruditionis commendationem foueret, & ad dignitates eueheret: quid ni, inquit, eos amarem, quos natura ceteris antecellere voluit? Nam, vt in eam ab Aenea Syluio traditam historiam commentatur Iacobus Spigelius, cense-

Iohan. Christoph. à Bernstein.

cenſebat Cæſar, vir prudens, in eruditis quiddã ſtem-
matis eſſe præſtantius. Quemadmodum enim illi ædi-
um parietes clypeis & imaginibus depiſtos haberent :
ita hi animum opt. diſciplinis exornatum : verùm vt
natura animus præſtantiſſior corpore eſt, ita ornamenta
ingenij longè pulciora eſſe externis bonis. Hæc ille.
Tertius REINOLDI filius, VVALCIGVS, compa-
ratis in Boiemia poſſeſſionibus quibuſdam, per filios
tres, Reinoldum, Iohannem, Vuigoldum totidem fa-
milias condidit.

Reinoldus in Boiemia conſedit : quo nati filij tres :
primus Henricus tantum in diſciplina Iuris profecit, vt
honores Doctoris conſecutus ſit : alter Sigefridus,
cùm tam fratribus, indeq; natis nepotibus, quàm filio
ſuo ὁμωνύμῳ ſuperſtes vixiſſet, ad grandem & decrepi-
tam ætatem peruenit, & adeundam hæreditatem pro-
pinquis in Myſnia reliquit : tertius Balthazar filios du-
os habuit, Iohannem & VVILHELMVM, magnæ
vtrinq; dignitatis. Nam ille auratæ militiæ Eques fa-
ctus, ſummam GEORGII BODEBRATII, regis
Boiemiæ, gratiam acquiſiuit : hic apud MATTHIAM,
regem Vngariæ, per iſtud tempus honeſtos ordines
duxit, quando is Pontificis Romani artibus regem Bo-
iemiæ ſe ſalutari atq; inaugurari paſſus, contra CA-
ZIMIRVM, regem Poloniæ, cuius filium Vvladiſlaum
ipſo Bodebratio aſſentiente, procerum pars Matthiæ
æmulum oppoſuiſſet, bellum mouit. Merebant autem
tum Matthiæ præter domeſticas copias etiam auxilia-
res aliquot Raſciorum turmæ : Cazimirus Tartaros
euocârat. Et bellum vtrinq; ſumma contentione ge-
rebatur.

D

rebatur.

rebatur. Quare etsi pacificatores se interposuere **Duces Saxon. ERNESTVS Elect. & ALBERTVS**, fratres, sic quidem vt Albertus ad Matthiam se in castra deportarit, ambo verò legatos ad Cazimirum miserint (nam ad hunc modum pleriq; historiam eam narrent: à qua alij variantes, Ernestum quidem & ipsi nominant, sed socium ei attribuunt **IOHANNEM**, Marchionem Brandenburg.) tamen cùm vehementer Tartarorum feritati Matthias succenseret, priusquam de pace actio institueretur, de hoc hoste castigando, & castris oppugnandis, consilium capit. Nec res successu caruit. Etenim de nocte in hostem nihil tale expectantem profectus, magnam stragem edidit: fuitq; opinio, debellare eum potuisse, si fortuna sua vt vel sciuisset vel voluisset. Occubuit autem in eo tumultu **VVALHELMVS** Bernsteinius, vt annales Turingici: nam Mysnenses, quibus astipulatur Martini Cromeri historia, captum à Tartaris asserunt.

Iohannes, alter **VVALCIGI F.** possedit Bernsteinum: & prognati eo filij, Iohannes & **HENRICVS**, ita ambo virtute enituerunt, vt equestrem auratæ militiæ dignitatem adepti sint. Iohanni rursus filij attribuuntur, Vuigoldus, Reinoldus, Vualtherus, quos expeditio Boiemica, quæ temporibus **FRIDERICI BELlicosI**, Electoris Saxon. aduersus Pragenses & Ziscæ socios suscepta fuit, celebres reddidit. Historiam Dubrauius ad hunc modum exponit. Concesserat **SIGISMVNDVS** Cæs. Austiam Friderico Electori certa pactione, ideoq; is præsidio firmarat. Interea **ZISCA**, qui vltor & vindex necis **IOHANNIS**

Iohan. Christoph. à Bernstein.

H V S S I exitit, mortuo, multitudo eum secuta, qui Orphanos se appellarent, in factiones duas, quarum altera nomen primum retinebat, altera nouum Thaboritarum assumserat, discessit, & graues cum Pragensibus exercere inimicitias cœpit: quippe quos etiam Lithomisso & Slana exuerit. Sed non multò post & inter se, & cum Pragensibus, Austiam tum obsidentibus, reconciliati, deinde communi Marte obsidionem vrserunt: Cumq; Electoris copiæ aduentassent, Thaboritæ ad vicum Preslicen eis obuiam progressi, tam diu hostem soli sustinuere, quoad Orphani & Pragenses subsequerentur: itaq; ingenti strage edita, superiores discesserint. Desiderati enim è Germanis perhibentur 12000. In his, quos dixi, Bernsteinij fratres fuere: & præter reliquum Turingicæ & Mysnicæ nobilitatis florem, numerantur Comitès duodecim, Barones quatuor. Incidit clades ista in diem Viti martyris, ann. Christi 1426. Fortè autem fratrum illorum quartus, natuq; minimus, **P** E T R V S, domi remanserat. Quare Bernsteinum deinde à Boiemis defendit. Hi enim licet Austiam captam in cineres redegerint, contra Germanos tamen victoriam non vrserunt, sed Pragensibus auctoribus ad indigenas hostes debellandos conuersi, tum demum, vbi infeliciter Pilsna tentata, id institutum in neruum erupit, primùm in Austriam, deinde in Mysniam infusi fuere, & in transitu Bernsteinum quoque tentarunt, sed frustra. Nam Petrus Bernsteinus accepto ab Electore præsidio, hostilem oppugnationem fortiter sustinuit. Nec post id tempus grassatores Boiemi, etsi arcu illi sæpe insidiati fuerint, potiri ea potuere.

D 2 Fuit

Oratio in funere

Fuit etiam HENRICO, quem altero loco Iohanne natum diximus, procreatus filius Vualcigus, & ex hoc nepotes IOHANNES & Vuigoldus: quorum ille ALBERTVM Princ. religionis & visendi sancti sepulcri gratia in Palæstinam secutus, ibiq; de more auratæ militiæ Eques inauguratus, moritur in reditu paulò antè quàm ad Cyprum appellerent, ann. 1476. 15. Aug. vt legitur in Hodœporico Iohannis Mergentalij, quod extat manu scriptum: hic cùm coelibem vitam ageret, opum suarum hæredem IOHANNEM, Iohannis Christophori auum, habuit.

VVIGOLDVS, tertius VVALCIGI F. eiusque, quæ nunc per Mysniam superest, familiæ propagator, retinuit è paternis bonis in Bernsteini vicinia Lochauiam & Ottendorfum, nobilia prædia. De hoc memoriæ præditum perquam illustre cùm fortitudinis tum pietatis erga patriam facinus, breuiter hic referendum duxi. Delectabatur Vuigoldus mirificè venationibus, & magnum rei militaris vsum habebat. Fortè ita casus tulit, vt cùm Boiemicæ genti nondum cum Mysnensibus in eas pacis leges, quibus nunc se mutuò obligârunt, conuenisset, in finibus omnia latrocinij infesta essent. Memoranturq; diuersa latronum arces, memoratur nominatim Princeps horum Vitiges. Is, vbi nunc opidum Glasehutum est, in prærupta quadam rupe sibi receptaculum construxerat. Et cùm crebras in Mysnensem agrum excursiones faceret, ac celeritate latibulisq; suis facile persequentes falleret, tandem rei indignitas Marchiones, qui tum in magistratu essent (neq; enim disertè nomina adduntur) eò permo-

Iohan. Christoph. à Bernstein.

permouit, vt edicto in vitam & caput eius præmium constituerent. Hæc res etsi in grauem metum Vitigem coniecit, tamen maleficum ingenium eius non mutauit. Nam cum à sese inuadendo insigni quopiam exemplo deterrere ceteros cuperet, de Bernsteinio per insidias tollendo consilium capit, &, vt rem perficeret, amicum eius colloquium petit. Non denegat hoc Bernsteinius, ratus fortè, flecti à se hominem posse, vt à maleficijs desisteret. Verùm quàm primùm se ei in conspectum dedit, latro ter in illum arcu iaculatur. Quare Bernsteinius tanta perfidia grauiter commotus, confestim familiam armat, & latronem consecatur. Quem demum assecutus, acriter scelus cogitatum ei exprobrat: cumq; ille cum caterua sua pro verbis arma intentaret, hominem non sine periculo sternit, atque interficit, reliquos dare terga cogit, & ipsum latibulum demolitur. Mansit tamen inde in hodiernum vsq; diem loco nomen, & monstratur cippus, qui de more in crucis formam erectus fuit. Cumq; huius rei fama passim iam percrebuisset, & Bernsteinius à Marchionibus euocatus, præmium ex edicto petere iussus esset, ille non hoc animo, sed vt vim illatam propulsaret, & in patriæ salutem consuleret, latronem se confesse, ostendit: Quod si tamen aliquo beneficio dignus videretur, nullum sibi potius fore, quàm si eiusmodi venandi libertas sibi permitteretur, vt quam in fundis suis feram indagasset, eam quoad caperet, persequi quocunq; liceret. Marchiones hanc viri integritatem, & animum ab omni cupiditate alienum demirati, facile id concesserunt. Ac tametsi diploma in Ottendorfi

Oratio in funere

incendio perierit , rei tamen memoriam quotannis Bernsteini , cùm ad iudicia aut alia negotia conuentus aguntur , renouari aiunt.

Reliquit **V V I G O L D V S** in ceteris liberis filium Henricum , & ex hoc nepotem , Iohannem , pronepotes , **H E N R I C V M** iuniorem & Georgium : quo Georgio nati fratres tres permisere ius suum in Boiemicas familiæ possessiones agnato **C H R I S T O P H O R O** , Iohann. Christophori patri.

H E N R I C V S iunior ex vxore Elizabetha Luttichauia filium vnicum , **I O H A N N E M** , sustulit. Interijt enim veneno florente adhuc ætate. Nam cùm alij cuidam ex nobilitate , qui falsò ipsum mendacij insimulasset , gentis nostræ more alapam impegisset , compositum quidem familiarium interuentu negotium amicè fuit , sed vt iste aduersarius eius semper hostilem animum retinuerit , & occultè vindictam machinari cœperit. Nec vim intentare ausus , totumq; facinus clàm esse gesti-ens , dum fortè in solenni encœniorum festiuitate cum Bernsteinio mutuis se poculis poscit , nefario instituto , Germanicoq; nomine indigno exemplo , venenum ei propinat.

I O H A N N I S fortunam tam prosperis quàm aduersis casibus æquè memorabilem reperimus . Nam infans patrem per summum scelus , adolescentulus magnam bonorum partem tutorum perfidia amisit. Cùm posterius incommodum deinde reliquorum gentilium funera , quibus per Mysniam possessiones ad ipsum solum peruenerunt , resarciisset , grauiter Boiemorum incurfionibus vexatur : quippe qui Ottendorfum dire-

Iohan. Christoph. à Bernstein.

direptum inflammârint, penitusq; deuastârint, sic vt in ea calamitate simul præcipua familiæ diplomata & priuilegia perierint. Quapropter ad angustias redactus, primus omnium à familia Bernsteinum alienauit. Redit tamen hoc ad ipsum aliquanto pòst Christophori F. industria : exindeque placatiore fortuna vsus, & Bernsteinum munitius reddit, & ita facultatibus accrescit, vt luculentam ad filios hæreditatem transmiserit. Obiit diem suum ann. M. D. V. susceptis ex Elizabeta Carissia filijs, Christophoro, Georgio, & Petro.

CHRISTOPHORVS, pari animi corporisq; vniuit. Educatores nactus DITTERICVM Schönbergium, auratæ militiæ Equitem, vbi is GEORGIO & HENRICO Principibus, Alberti FF. morum informator in academia Lipsensi adiunctus fuit, isthuc eum affectatur: & cum Latinam linguam non infeliciter didicisset, inter præcipuos Henrici ministros legitur. Postea ad militiam animum appulit: & cum aliquot annis MATTHIÆ, regi Vngariæ, meruisset, exactè interea linguam Slauonicam addidit. Vbi Henricus Princ. religionis & cuiusdam expiationis gratia (nam ea tunc temporis persuasio hominū mentes occupârat) Hierosolymam petijt, comitem se ei adiungit, & de more auratæ militiæ Eques renunciat. Accidit tum & aliud quiddam ei, quod ne utiquam silentio prætereundum duximus. Habebat inter reliquas sarcinas secum vestem Vngaricam. Hac cum in Palæstinæ aditu se induisset, & Mamaluchorum Aegyptiorum (hi enim per id tempus Hierosolymam cum

Oratio in funere

cum imperio tenebant, & plerique omnes Circassi erant) linguam intelligeret, pro Rasciæ gentis homine ab eis habitus, præq; alijs honorificè & cumulatè tractatus fuit. ANN. M. CCCC. XCV. militavit Tribuni dignitate FERDINANDO Arragonio, Alfonsi F. eiq; ferè in præcipuis auctor & adiutor extitit, regnum Neapolitanum à Gallis recuperandi. Quare de tanto merito cùm alia *βραβεία* tulit, tum dignus existimatus est, vt iterum Eques inauguraretur. Constat etiam eadem occasione aliquem linguæ Italicæ vsus (nam linguarum cupidissimus fuisse fertur) ipsum sibi comparasse. In bellis Belgicis fortem & strenuam operam ALBERTO Princ. nauavit, indeq; inter præcipuos ductores numerari cœpit. Quare patri arcem Bernsteinum redimendi potestatem impetrat, & quidem pecunia non magna impetrat: quandoquidem magis merita ipsius, quàm precium spectabatur. Cùm mirificè armatis illis ludis equestribus delectaretur, ideoq; aliquando Pragæ Boiemorum sibi petendam existimasset, posteaquam in arenam descensum fuit, tanta animositate & virtute decertauit, vt omnium consensu declaratus victor sit, primumq; & potissimum præmium reportarit. Sed postea graue ei cum gente illa disfidium intercessit. Occasio talis extitit. Deserat iam agnata in Boemia familia in Sigefrido. Eam hæreditatem cùm ceteri propinqui ipsi permisissent, primum apud illos, qui eam creuissent, deinde apud regij consilij Synedros negotium vrsit, multorumq; Germaniæ Principum, adeoq; Vuladislai Regis intercessionem promeruit. Verùm dum nihil proficit, solenni, & nobilitati

Iohan. Christoph. à Bernstein.

bilitati tum vſitata, denunciacione hoſtem ſe totius regni profiteretur : quod cùm varijs cladibus per quinquennium vexaſſet, tandem honeſtis, & quæ ſibi ex vſu eſſent, conditionibus componit. Iam fermè ſeneſcens, id eſt, circa ætatis annum quinquageſimum, primam vxorem ducit Barbaram Phlugiam, & hac mortua alteram Annam Breitebachiam. Nec minus tum bonus paterfamilias fuit, ac gnauum antea bellatorem ſe præſtiterat. Tametſi enim podagricis doloribus grauiter diſcrucietur, planeque eneruaretur, ſic tamen rem ſuam auxit, vt ad paternæ hæreditatis portionem poſſeſſiones, quas deinde Iohannes Chriſtophorus F. tenuit, & cultiores reddidit, adiecerit. Moritur grandæuus ann. Chriſti M. D. XXXIII.

GEORGIVS, vixit in eadem magnanimitatis & fortitudinis bellicæ laudè cum Chriſtophoro fratre, indeque ſummam apud Georgium, Ducem Saxon. auctoritatem adeptus eſt. Nam vt antè ALBERTI Princ. ita huius etiam ſigna ſecutus, militauit in Friſia. Poſt ad pacis ſtudium conuerſus, inſtaurauit Ottendorfum.

PETRVS, opt. artium ſtudijs animum excoluit, non ignarus, eandem veteres armorum & diſciplinarum præſidem Mineruam finxiſſe, & in nobiliſ. regibus IVBAM II. ſtudioſum claritate, quàm regno memorabiliorem fuiſſe, vt auctor eſt Plinius, denique in familia ſua tam belli quàm pacis artes ſemper viguiſſe. Poſteaquam vt cum fructu peregrinari, & tanquam ad vberiorum in literis mercatum proficiſci poſſet, ætas & iacta in inferioribus diſciplinis fundamenta tulère, Italiam petijt, & cùm Bononiæ ſubiſtiſſet, id virtutis &

E doctri-

Epistola Christophori Scheurli

doctrinæ specimen edidit , vt nationis Germanicæ
PROCVRATOR factus sit , & Licentiati (nam id vsu
receptum vocabulum retinere nobis liceat) in Iurif-
prudencia honores acquisierit. De quibus omnibus
cùm præclarè CHRISTOPHORI SCHEURLI No-
riberg. epistola, qua Iohannis Monteferrati commen-
taria quædam ei inscripsit , attestetur , itaq; attestetur,
vt simul patris, simul fratrum laudes complectatur , vi-
sum fuit hîc eam subijcere.

A D N O B I L E M E T
E R V D I T V M V I R V M , P E T R V M
B E R N S T E I N I V M , M i s n e n s e m , I u r i s
L i c e n t i a t u m , C h r i s t o p h o r i S c h e u r l i
N u r m b e r . s t u d i j B o n o n .
S y n d i c i e p i s t o l a .



Q V E M A D M O D V M M . T V L L I V S , I L L E
eloquij princeps , præter Demetrium Pha-
lereum nemini Græcorum contigisse asse-
rit, idē vt utroq; in genere laboraret, seque-
returq; & illud forense dicendi, & hoc quie-
tum disputandi genus : Ita ego , clariss. vir, hac nostra
tempestate paucos video , qui diuini simul ac humani
Iuris magnopere consulti habeantur , qui in utroque
excellant, atque monstrabiles habeantur. E' quorum
numero censendum puto præceptorem meum, Iohan-
nem

ad Petrum Bernsteinium.

nem Monteferratum , qui quantum in iure Cæsareo profecerit , illorum sit iudicium , qui præclara illa monumenta , quæ toto anno ex eius officina edidimus multa , in manib. habent. Quantum verò in iure Pontificio , quod Canonicum appellant , assecutus sit , vt omnes intelligant , dedi Iohanni Antonio de Benedictis , bibliopolaë elegantissimo , in mille volumina formanda diuina illa commentaria , quæ in titulum de constitutionibus , & capitulum primum de Rescriptis , lib. 6. mira industria composuit. Quæ tibi , præstantis. vir , ideo peculiariter nuncupo , vt ita meam in te & nobilem familiam tuam benevolentiam omnibus planè notam facerem. Tecum enim ex longi temporis condiscipulatu , & studiorum similitudine , non vulgarem amicitiam constitui. Nam postquam animaduerti , Scholam amicorum esse seminarium , & illas veras diuturnasq; amicitias censerì , quæ in gymnasijs literatorum parantur : continuè operam dedi , vt nobilissimos quosq; & eruditissimos benevolentia mihi conciliarem : quorum conuersatio doctiorem me reddere posset præstantioremq; . E quorum numero semper te iudicauì . Nam vt in præsentì abauos & atauos , qui in familia Bernsteinà apud inçlytos Mysnæ proceres famigerata & antiqua claruerunt , silentio præteream : pater tuus I O H A N N E S Bernsteinus , omni præconio bonitatis ornatus , tanquam Aristotelis Xenophontisq; Oeconomicon legisset , agebat bonum patremfamilias : qui arcem Bernsteinam , quæ haud longè à Boiemis vetustate

Epistola Christophori Scheurli,

state insignis, & natura loci in saxo vndique præciso constituta, propè inexpugnabilis conspicitur, in formam munitissimi castelli redegit, & ampliora faciens, quæ à parentibus acceperat, luculentissimam hæreditatem liberis reliquit. E' quibus CHRISTOPHORVS corporis animiq; bonis præstans, cum videret pulcrum esse, multas terras peragrarè, & multarum nationum mores & leges inspicere, vnà cum bellicosiss. Princ. Henrico Hierosolymam nauigauit. Vbi sepulcrum Domini, sanctitudinis plenum, venerabundus salutauit. Quin otij & quietis impatiens, Neapolin concessit, vbi sub Ferdinando rege talia stipendia meruit, vt illi vnà cum Germanis suis non vltimus auctor fuerit, Galli regno eiiciendi: qua re non modò opima spolia ex Italia reportauit, verùm etiam perpetuam gloriam in domum suam inuexit: quam postea confirmauit frequentissimè in Germania inferiore pro sacratiss. Alberto, Duce Saxonix (in quo auctoritas & sapientia tanta fuit, quantam non facilè in Principe vnquam meminimus) egregiè strenueq; pugnando: quas ob res ab illo, quàm diu vixit, familiarissimè amatus est. Sicut etiam in præsentì GEORGIVS Bernsteinius (hoc enim est nomine alter frater tuus) ob animi magnitudinem, & qua nemini cedit, virtutis præstantiam, apud opt. Principem Georgiũ, inuictiss. Alberti successorem, & in omni genere laudis excellentem, secundiss. aura vititur, & maxima, vt debet, auctoritate pollet. Tu verò, doctiss. vir, contulisti te ad militiam literariam, tanquam ad laudabiliorem excellentioremq;. Venisti Bononiam ad ingenij cultum
capien-

ad Petrum Bernsteinum.

capiendum. Vbi posteaquam multis annis operam dedisti, ne bonas horas malè collocares, ne bona aetas per incuriam efflueret atque desidiam: sicut Christophorus, frater tuus, è Germania in Sicilia militantibus, ob egregiam virtutem præfectus delectus est: ita ad te nobiliss. natio nostra primam dignitatem, quam vulgò procuraturam dicimus, concordi suffragio detulit: quam administrans in cœtu scholastico instar gemmæ rutilantis effulxisti, & virtutum tuarum locupletissimum testimonium exhibuisti. Deniq; quemadmodum idem frater tuus per Hierosolymitanam peregrinationem, & regem Neapolitanum, in equestrem ordinem relatus est: Ita tu quoque continuo studio & vigilantia eò rem deduxisti, vt his diebus vnà cum egregio, & vtriusq; nostrum familiarissimo, Iacobo de Sale Lufatio, Iuris Licentiatus pronuntiatus sis, ita vt vbi velis Doctoris infulis, quæ cum equestri dignitate contendunt, decorari possis. Nam, vt semel finiam, suauissimi tui mores, elegantiss. ingenij tui specimen, naturæ docilitas, & auiditas inexhausta discendi, spondent, te vniuersæ Misniæ tuæ ornamento futurum & gloriæ. Quò cum veneris, velis me obsecro vnà cum clarissimis fratribus illustriss. & literatissimo patrono meo, Friderico, Principi Saxon. & Romani Imperij Electori & præfecto prætorio: cuius incredibilis sapientia, spectata probitas, excellens eruditio bello & pace claret: commendatissimum efficere. Hoc adeò gratum mihi erit, vt hoc tempore nihil gratius mihi efficere possis: mei autem memoria toties apud te erit, quoties hos doctissimos commentarios, mea cura in-

uulgatos & diligenter recognitos, in manus resumferis. Quos quæso à me, tuo amicissimo, perpetuæ meæ erga te beneuolentiæ monumentum hilari fronte suscipias. Quicquid præterea ingenio, aut quantacunq; eruditione consequi possum, hoc te & tuos posse, confide. Vale, & me mutuò ama. Bononiæ pridie Calend. Quintiles. Ann. à natali Christiano sexto supra millesimum quingentesimum.

Constat autem P E T R V M etiam Doctoris titulum Bononiæ assumfisse: quando nimirum huic ea dignitas inesset, quam epistola indicat. Inde domum reuersus, primum inter Consiliarios B O G V S L A I, Ducis Pomeraniæ, locum obtinuit, deinde in patria idem munus gessit apud G E O R G I V M, Duc. Saxon. & quidem ea virtutis existimatione gessit, vt summa huius gratia, dum vixit, floruerit.

H A C T E N V S domus Bernsteinia gentilitatem, & res gestas præcipuas, ὡς ἐν τύπῳ, nudè & simpliciter perstrinxi, itaq; perstrinxi, vt magis narratorem quàm exoratorè agere maluerim, imò nec narrationes, vt decebat, persecutus sim, sed quantum institutum nostrum ferebat. Nunc istud teneatur, eam, quæ hodie in Mysnia superest, horum fratrum trium progeniem esse. De qua per singulos quasi gradus explicare, aliud argumentum aliudq; tempus postulare videbatur. Estq; vt ceteros taceam, I O H A N N I S B E R N S T E I N I I, Petri F. dignitas amplissima, est præclara in literis eruditio, summaq; auctoritas, sapientia, & in omni officio integritas,



Iohan. Christoph. à Bernstein.

gritas, diligentia, fides in medio. Pergo igitur ad I O H A N N I S C H R I S T O P H O R I , cuius modò funus ducimus, historiam, sed vt & hîc magis omnia delibem, quàm iusto orationis veluti apparatu explanem.

Natus est I O H A N N E S C H R I S T O P H O R V S altero Christophori cum Anna Breitebachia matrimonio, M. Maij. D. X I. Ann. supra millesimum quingentesimum vigesimo secundo. Puer vixit in illustrissima G E O R G I I Ducis Saxon. aula. Memoriaq; repeto, honorificos sæpe de illo Principe, eiusq; disciplina aulica, sermones ab ipso habitos. Pòst ad P H I L I P P V M Palatinum, eum, inquam, qui Viennam Austriæ à S O L Y M A N O , potentissimo Turcarum tyranno, defenderat, traductus, inde rursus in aulam Borussiacam A L B E R T I Ducis discessit. Neq; huius loci esse duxi, quibus & hosce Principes celebrare laudibus consueuerit, enarrare: quippe quorum res gestæ, & in religionem, repub. literas merita, in omnium ore sint. A N N. M. D. X L I. C A R O L O V. Cæs. Ratisbonæ ordinum Imperij conuentum agente, isthuc profectus, Algerianæ expeditioni eius in Africam nomen dedit. Eratq; iucundum referentem audire, quos tum Cæsar, quos reliquus exercitus, quos ipse labores exanclasset. Nam cum non sine summa difficultate ad Africam appulissent, deinde non tantùm cum hostibus, sed etiam cum tempestatibus, cum fame, cum naufragijs eis pugnandum fuit. Singula vt euenerint, commemorare non debeo: & extant de historia illa luculentæ aliorum narrationes. De fame repeto, eam com meatu partim consumto, partim tempestatibus
vel

Oratio in funere

vel corrupto vel amisso, sic inualuisse, ut miles agresti quadam radice, quæ ensibus effoderetur, vitam tolerare coactus sit. Et quia continui imbres focum alere non sinebant, is summis delicijs frui existimabatur, qui igne è filice excusso, vel modico puluere tormentario excitato, sarmenta aut nauium fragmenta utcumq; accendisset, hisq; equinas carnes tantisper saltem, ut nigricare inciperent, adhibuisset. Iam obsidione soluta, cum Cæsar reditum & nauigationem edixisset, noua rursus pericula ingruerunt. Nec verò hac etiam parte inculcare singula libet. Tantùm id de Bernsteinio addo, cum classe disiecta, nauis, qua uehebatur, sæpe naufragij discrimen habuisset, medioq; ex cursu vi ventorum abrepta Massiliam propelleretur, subito alijs ventis coortis, Genuam reiecta fuit: eoq; pacto, quotquot in illa essent, præsentissimum quoddam periculum declinârunt. Nam Gallia rex tum graue in Cæsarem bellum moliebatur, nec militi eius, quocumque modo intercepto, parsurus fuisse credebatur. Commoratus deinde Bernsteinius aliquantisper in Italia, in acutam febrem incidit. Quare cum medico vteretur, isq; tantùm sibi sumisset, ut de religione ipsius, id est, Lutheranusne esset (nam in eam appellationem, quæ grauem per Italiam haberet infamiã, summiq; & periculi & conuicij esset, proruperat) inquirere auderet, Bernsteinius istam peruersitatem æquè piè ac masculè retundens, quam religionem Germani profiterentur, clam non esse, respondit: sed ad illum non hanc, sed corporis curam pertinere: nec animi se, sed corporis medicinam ab eo efflagitare. Conualuit autem ex eo morbo

Iohan. Christoph. à Bernstein.

morbo feliciter : & quia interea à matre vidua literas
acceperat , quibus non solùm amanter , verùm etiam
cum graui obtestatione domũ reuocabatur : etsi mul-
ta, inprimis autem noui belli præmia, & dignitates ob-
latæ, cum retentarent , violare tamen matri debitam
pietatem non sustinuit , & priusquam nouo se sacra-
mento obstringeret, repetendam Germaniam, & non-
nihil cum propinquis deliberandum, censuit. Sic enim
de re illa retulisse ipsum recordor , actum secum fuis-
se , vt Cæsaris aulam sequeretur , & in Hispaniam tra-
duceretur : nam ex Hispanorum proceribus quendam,
perspecta ipsius industria, sese vltro inuitasse : vt ne au-
tem mox conditionem acciperet , scrupulum aliquem
ac dubitationem sibi iniecisse cùm religionis diuersita-
tem, tum linguæ ignorantiam. Ergo domum reuersus,
magnaq; suorum gratulatione exceptus, accidit dein-
de , vt Torgam excurreret , vbi tum IOHANNES
FRIDERICVS Elect. aulæ sedem habebat. Qui , ita
vt fit , inter familiares sermones de Africana Bernstei-
nij militia ab aulicis admonitus , voluit ab eo Consi-
liarijs aliquot exponi , quæ de Cæsare , quæ de reliqua
expeditione Bernsteiniius comperta haberet. Nam di-
uersi , pleriq; etiam ficti & vani , per Germaniam ru-
mores disseminati fuerant. Nec deërant in exteris ho-
minibus , qui subdolè (quid enim spectârint , euentus
docuit) affirmare, alijsq; persuadere, conarentur, Cæ-
sarem in mari submersum , & piscibus escam factum
esse. Fuit autem inter eos , qui Principis nomine cum
Bernsteinio egerunt , BERNHARDVS HIRSFEL-
DIVS, genere nobilis , & auratæ militiæ Eques , pro-
pterq;

F

pterq;

Oratio in funere

pterq; summam auctoritatem, dignitatem, & virtutem
 etiam MARTINI LVTHERI scriptis celebratus, de-
 nique & ista singulari felicitate insignis, quòd ordine
 quatuor Saxoniae Electorum, Friderici Sapientis, Io-
 hannis, Iohannis Friderici, & Mauricij, Cõsiliarius ex-
 titerit. Hic mox familiariter Bernsteinium complexus,
 aliquantò pòst ei filiam ELIZABETHAM collocavit.
 Quod coniugium ritè, piè, casteq; initum, quàm fau-
 stum, felix, & fœcundum fuerit: quandoquidem Eliza-
 betha multorum liberorũ vtriusq; sexus Bernsteinium
 patrem fecerit, & cùm tota pietati addicta esset, reli-
 quisq;, quæ in matrona spectari & commendari so-
 lent, virtutibus sic fulgeret, vt verè ταμείον ἀρετῆς dici
 posset, quanta cura sobolem educãrit, vt mariti obse-
 quio studuerit, quia notum omnibus est, otiosa com-
 memoracione repeti à me non debebat. Nec am-
 plius deinde Bernsteinius ad vagam illam militiam
 animum adijcere, sed rerum suarum domi fatagere, &
 quam nactus Spartam esset, quemadmodum habet
 adagium, ornando, commodare suo loco Ecclesiæ,
 commodare reipub. & debita patriæ Principibus of-
 ficia, prompto studio singulariq; fide præstare. Dies me-
 deficeret, si persequi singula vellem. Certè MAVRICIO
 Elect. ita se probavit, vt summam ab eo gratiam
 inierit. Cui vt ne eo bello adesset, quod ille aduersus
 ALBERTVM, Marchionem Brandenburg. gessit po-
 stremum, morbo impeditum nouimus. Vbi deinde
 fraternæ ditionis ac dignitatis hæreditatem adiit AV-
 GVSTVS Elector, Bernsteinius non minorem huius
 fauorem promeruit. Qua de causa Gothani belli tem-
 pore

pore, Dresda ei commendata fuit. Et cùm inter Con-
 siliarios, qui prouinciales appellantur, locum teneret,
 Elector, quoties fortè hospites Principes haberet, in
 ijs tractandis potissimum Bernsteinij industria vti soli-
 tus fuit. Sed redeo ad priuatam eius vitam. In hac
 eam laudem tulit, vt licet exquisita illa *περὶ τῆς οἰκονομικῆς*
 Philosophorum præcepta eum deficerent, esset tamen
 & haberetur paterfamilias optimus. Etenim vt nihil
 nunc dicam, qua diligentia, quibusq; laboribus ac-
 ceptas à parentibus facultates adauxerit, agros &
 fundos excoluerit, ædificia multa à fundamentis con-
 struxerit: sic familiam, sic plebem rusticam (hæc enim
 Germanicæ gentis instituto potissima parte equestri
 nobilitati pareat) gubernabat, vt quod ab alijs fieri vel-
 let (nihil autem nisi honestum volebat) ipse suo ex-
 emplo exprimeret, & in omnibus religiosam pietatem,
 coniunctam cum summa constantia & grauitate, adhi-
 beret. Præclarè enim Ouid.

Sic agitur censura, & sic exempla parantur,

Cùm iudex, alios quod monet, ipse facit.

Vt exempla hac de re coaceruarem, necesse non esse
 duxi. Vnum istud de pietatis eius studio indicasse suf-
 ficiat, tantam tempestatem, tot etiam negotia nun-
 quam ei oblata fuisse, quibus, cùm valeret, vt ne sacras
 conciones frequentaret, se impediri passus fuerit.
 Nam abest, vt cernimus, hæc Rurestorfensis ædes,
 vbi propter vxorem & liberos apud se demortuos in-
 humari voluit, à domicilio eius Borto non modicum
 spacium, quod quàm diu per valetudinem licuit, fer-
 mè pedes conficiebat. Neq; dum *ψαλμοῦ δια* perage-

Oratio in funere

rentur, otiosus astare, sed simul accinere, & attentissimè cùm verba ad populum fierent, auscultare, & ad cœnam Domini crebrò accedere. Domesticæ disciplinæ eiusmodi ratio erat. Cotidiè, priusquam aliud quicquam ageret, horam certam precibus & lectioni Bibliorum destinatam habebat. Prandium & cœna semper & incipiebantur & finiebantur piarum precum recitatione: iuebanturq; liberi, quorum ætas id ferret, nunc Psalmorum, nunc Siracida, aut aliorum scriptorum Bibliorum recitationem memoriter adiungere. Die Saturni à cœna, explicationem Euangeliorum familiæ ipse prælegebat. Die Solis, vbi ex templo ventum esset, antequam pranderetur, recitationem Catechismi tam à liberis, quàm ab alijs domesticis exigebat: & à cœna iterum familiam ad lectionem explicationis Epistolarum (loquamur enim recepto nostro seculo in Ecclesia more) adesse voluit: neq; id institutum suum ab vllis hospiribus interpellari sinebat. Hyberno tempore cùm familia lucubraret, non pudebat eum ita assidere, vt loco anilium fabularum, quas alij suis indulgerent, examen è doctrina catechetica institueret, vt æstiuo, cùm operas domum reduceret, iisdem ad sacras cantilenas decantandas voce præibat. Eratq; in reliqua œconomia singularis honestas: siquidem suo ipse exemplo efficacissimū quendam neruum adijciebat. Nec ibi comestationes, non temulenta ebriosorum conuiuia, non nocturnæ vel vociferationes vel saltationes audiri aut conspici, sed omnia ad decori normam reuocari. Vt plebs subiecta in officio esset, idemq; in ea pietatis & recti studium accen-

accenderetur, non exactiōibus aut oneribus iniustis, sed stabili disciplina, auctoritate & suis quibusdam legibus præstabat. Nam contentus ijs prouentibus & operis, quæ profecta à maioribus consuetudine sibi deberentur, reliquum tempus proprijs laborib. quæque impendere, indeq; quæstum facere voluit. Nec ullis infestior erat, quàm quos otuari, aut in tabernis desiderare, comperisset. Ac ne quis ex ignorantia excusationi aut veniæ locus esset, eas, quas dixi, leges suas quotannis solenni recitatione repetebat.

Magni faciebat, & studiosè comparabat ac legebat, MARTINI LUTHERI & PHILIPPI MELANCHTHONIS scripta, quæ in Germanicam linguam versa essent (tantùm enim Germanicas literas nôrat) hæcq; duo lumina, & restitutam eorum ministerio & opera Euangelij lucem, Germaniæ nostræ, imò toti Ecclesiæ, sæpenumero & ex animo gratulabatur. Sed vehementer dolebat de turbis, factionibus, dissidijs, rixis, quæ vtriusq; mortem secuta remisceretur: existimabat enim non posse non inde graues populi offensiones nasci: cùm potius in communes aduersarios mentes docentium & voluntates coniunctas esse optaret: foreq; metueret, vt nimium altercando veritas amitteretur, inprimis verò res eò tandem deduceretur, quod scelerata & belluina Vitellij Imp. vox repræsentaret: Optimè olere occisum hostem, & melius ciuem. Nec improbat, quod quidam, editis populari lingua libellis, Basilij Magni in libro de Spiritu sancto locum, quo Ecclesiæ sui temporis statum, sanè miserabilem, planè κατά χαρακτήρισμόν

F 3 descri-

describit, cum eo, quem nostra ætas habere cœpisset, componerent. Censebat autem de dogmatis & religionis controuersijs ita differendum ac dimicandum, vt magis veritatis, piæq; simplicitatis, moderationis, καὶ Φιλησυχίας, quàm curiosarum quæstionum & opinionum, σοφισμανίας, Φιλονοκίας, ambitionis, calumniæ, odij, & vindictæ priuatæ, pertinaciæ, maledicentiæ, hypocritici tyranniciq; (hæc enim vitia duo semper coniuncta esse) zeli studium appareret : nec quæ semel bene tradita, sancita, & approbata essent, temerè conuellerentur, non etiam tam quæreretur, quid hic aut ille fortè dixisset, suscepisset, egisset, quàm quod ex cœlestis doctrinæ norma verum & rectum esse demonstraretur. Nam è Seruatoris Christi præceptione vnicam esse viam, veritatem, & vitam, ipsum Christum, de quo tanquam fontes scripta Prophetarum & Apostolorum, tanquam riuli inde deducti, Symbola, purior antiquitas & orthodoxæ nostrarum Ecclesiarum Confessiones, testarentur : ideo ad eum scopum spectare & tendere omnia debere : nec aliud fundamentum poni posse, quàm quod positum est, nempe Christum : homines autem humano more agere, id est, impingere & labi posse : nec quenquam in hac vita vitij & culpæ expertem esse : deniq; alium aliò interdum affectiones quasdam ducere. Meminiq; cum de duabus academijs, ipsi non ignotis, quæq; ibi euenissent, aliquando mentio incidisset, illum vtranq; quidem honorificè collaudare & prædicare, sed vt alteram ita alteri præferret, vt pleraq; agere cunctantius, moderatius, & circumspectius, ideoq; minus barbarum habere,

Iohan. Christoph. à Bernstein.

habere, diceret. Ac libenter audiebat, nec obscure amabat, eos Ecclesiæ doctores, qui sedatè καὶ νενεχῶς, hoc est, vt è Christi regula sermo ipsorum potius pietatis sale conditus, quàm conuiciorum petulantia, ἢ βλασφημιῶν ἀμάξιας, armatus esset, ad populum verba facerent, qui cum sana doctrina etiam vitam honestam & sanctam coniungerent, qui non essent ἀλλοτριεπισκοποι, mallentq; suum gregem recto & salubri quasi pastu curare, quàm stulta ambitione καὶ πολυπραγμοσύῃ alienum perturbare.

In ceteris eius actionibus, totaq; vita, cernere erat incredibilem iusticiæ, integritatis, veritatis, candoris, sedulitatis, continentia, frugalitatis amorem, vt contra maximum improbitatis, πλεονεξίας, malitiæ, violentiæ, mendaciorū, obrectationum, simulationum, fuci, ignauiæ, libidinum, profusionum, &, quæ pestes duæ in aulis summisq; viris plæruncq; inhærescunt, delationum & suspicionum odium. In primis verò delectabatur ordine, nec cum agere quippiam vellet, addebat, cum vacat, sed cum familiarissima sibi appendice, DEO VOLENTE, (de qua, si cui φιλαλογεῖν libet, id Græcorum commentationes de exemplo Pauli Act. 18. nos docent, ne quid absq; ea policeamur: neminem enim nosse, quid allatura sit posterior dies) certum tempus nominabat, idq; obseruabat.

Labores, quos salus publica, honestas, commodum amicorum, officij ratio, respectus suorum deprecaret, nunquam defugiebat: & ipso rerum vsu, nonnullaq; scriptorum Germanicorum lectione, vehementer iudicium exacuerat. Nam, quod antea monuimus,

à Lati-

à Latinæ linguæ scientiâ & doctrinarum eruditione, instructus non erat, idq; tot aliarum virtutum ornamentis eius tantum defuit. Sæpe autem incommodum hoc ita deplorabat, vt nihil ei molestius esse videretur. Et complures huius ipsius vocis testes esse possunt, qua affirmare solebat, si fieri posset, se aliquot aureorum millibus redimere velle. Cumq; dignitatem & fructum studiorum intelligeret, atque amaret, nihil antiquius habuit, quàm vt filij in his accuratè informarentur. Sic enim sentiebat, nec idem inculcare filijs desisteat, opes, & quæ præterea fortunæ bona appellantur, talia esse, quæ omnibus eiusdem iniurijs exposita sint, & amitti facili momento possint: huius verò thesauri possessionem perpetuam esse: seu, quemadmodum Cornificiæ Romanæ habet apophthegma: solam doctrinam liberam esse, in quam fortuna tela sua figere nequeat. Ac quos sumtus eo nomine in filios fecerit, quas sæpe profectio- num molestias obierit, vt disciplinam, operas, mores inspexerit ipse, suaq; auctoritate adiuuerit & confirmauerit, si testari me posse profitear, culpandus non fuero: quippe qui integrum nouennium institutionis munus sustinuerim. Complectiq; eadem prædicatione filiorum eruditionem, & cetera ingenij ornamenta possem, ni ea iam antè omnibus perspecta esse statuerem.

Factum, ambitionem, & quemuis luxum, canepius & angue, vt Horatij verbis vtamur, oderat. Aduertebaturq; hoc in eo ingenuitatis ac generositatis indicium, quod cum quo ageret velloqueretur, in eius
oculos

oculos suos rectà defigebat, idemq; ab alijs fieri gaudebat: id quod se non solum à natura, verum etiam è Philippi Palatini disciplina habere asseuerabat. Hic enim, vt erat ingenui heroiciq; ac verè leonini (nam Leones cum dolis careant & suspicione, neq; limis oculis intueri, & aspici simili modo nolle, legimus apud Plinium lib. 8. cap. 16.) animi princeps, ita etiam moribus ingenuis suos esse, nec vultum suum formidare volebat: secus ac Turcicos tyrannos cum suis magnatibus agere solere, Georgeuicius scripsit: quippe à quibus, quoties fortè eos ad colloquium admittunt, aspici nequaquam sustineant. Videbatur nec istud ex œconomicis Bernsteinij sermonib. reticendum, quòd regiones, vrbes, vicos, quorum situs id ferret, ita habitari debere dicebat, vt maximè frequentes & populosi essent. Cumq; aliquando talis quæpiam vox ad eum delata esset: syluis parcendum, ne hominum cultura vastarentur, seu, ne materia deficeret, grauitè excandescebat: nam arbores cum hominibus conferre, esse cum ratione insanire: & fructuosiora esse loca culta quàm inculta: deniq; humanam industriam facile, si non materiam, at quod vicem materiæ suppleret, reperire.

Postremò perorandum aliquid esset de singulari Bernsteinij *Φιλοσοφία*: nam hæc morbi, quo interijt, primùm semina quædam sparsisse videtur. Sed quia longum foret argumentum istud, pauca tantum, eaq; præcipua capita, attingam. Familiæ honori & propinquorum commodis enixè semper studuit. Atque vt omittam, quæ in singulos officia contulit, pro eo quidem

Oratio in funere

dem merito non debere non ei omnes volent, quòd auctoritate ipsius, nostra verò qualicunq; opera, certa familiæ historia collecta sit. Nam qui nunc sunt mores, quæ etiam superioris ætatis barbaries, rarò eiusmodi quasi emblemata in equestribus familijs reperiuntur. Reliqua domestica consuetudo talis erat, vt cum vxore viueret coniunctissimè, liberos sanctè, piè, honestè educaret: familiam non tantùm voce, sed, quod suprà monui, etiam exemplis regeret: ministris Ecclesiæ venerationem, egenis opem & respectum nunquam denegaret: familiares & necessarios, tum in vniuersum bonos omnes coleret & demereretur, quibus posset officijs. Sed ingens atq; acerbum postremis annis ei vulnus infixère tria fermè continentia funera, filia & vxoris domi, filij Iohannis Abrahami, ex ijs, quos tum superstites haberet, natu minimi, in acad. Vuiteberg. Hunc enim ob egregiam indolem, maximamq; ingenij vim, morum suauitatem, docilitatem (nam verè is erat, quos Plato de repub. dociles esse vult, nimirum *Φιλομαθής, Φιλόμοθος, καὶ ζητητικός*) tum etiam facilè & promptum obsequium, singulari quadam affectione diligere videbatur. Et grauem ei dolorem peperit morbus, qui quo die puerum primùm inuaserat, eiusdem insequentì nocte extinxit. Sanè cum ad ceteros casus animum Bernsteinius à fortuna inuictum afferre sole- ret, tum propemodum se succubuisse non negabat. Nam quod Maro de Aenea suo canit:

Omnis in Ascanio carisset cura parentis,

idem & de Bernsteinio non obscurè aduertebatur. Et si verò repetitù postea cum M A G D A L E N A E C E D O R -

F I A

FIA coniugium, indeq; suscepti filioli duo, agritudinem tenacius animo infixam aliquantum minuerunt, tollere tamen penitus nequiverunt. Vixit post hoc tempus annos circiter quinque. Et filij memoriam eo monumento honoravit, vnde pientissimi animi amor eius facilè perspiceretur.

Extremum vitæ diem Bernsteinius tali modo & morte confecit. Laborabat certis quasi vicibus anni catarrho, qui ita pectus inuadebat, vt & respiratio redderetur difficilior, & magni dolores sequerentur. Iam ingrauescente ætate, maximè autem eo anno, quem fatalem habuit, factum est id malum vehementius, mouitq; se crebrius, & durauit longius. Fortè accidit, vt anniuersarijs Ecclesiæ cuiusdam vicinæ rationibus eum adesse oporteret. Ibi cum vinum in prandio appositum esset crudius (eiusmodi enim superioris anni autumnum frigidiorum & humidiorum procreasse scimus) redijt morbus, quem fortè auxit intempestius phlebotomiæ vsus. Quare cum quarto die, ex quo ægrotare cœperat, adhuc vesperi mensæ assideret, & puero, ipsius loco Euangelij explicationem familiæ prælegenti auscultaret (fuit enim dies Saturni) ob doloris vim assurgere, & in lectum se reclinare coactus, post duarum horarum spatium inter pia suspiria, & ardentis preces, placidè, & sine vlllo mortis sensu animam Creatori suo reddidit. Incidit tempus illud in 4. Non. Ian. horam noctis nonam, cum inijsset annus Iesu Christi M. D. XX C. & ipse ageret annum ætatis quinquagesimum octauum. Opinio fuit, mortem eius portendisse cum alia omnia, tum quòd

Oratio in funere

ædis huius turris , quam biennio antè à fundamentis construxerat , superiore anno de cœlo tacta fuit , & fulmen simul pinnaculum anterius , quod nomen & gentilitia eius insignia laminæ insculpta habebat , deiecit , simul parietes admirandum in modum perrupit , & Christophori patris monumentum quoddam læsit. Nam & ipse nonnihil eo afficiebatur , & grauius amici commouebantur.

Habetis breuiter , quæ ad IOHANNIS CHRISTOPHORI BERNSTEINII memoriam colendam de genere , natalibus , maioribus , totaq; ipsius vita & rebus gestis dici hoc tempore poterant , aut in mentem mihi veniebant. Neque enim dolor , & patroni optimè meriti desiderium , reminisci omnium sinebant. Quod si cuiquam ad tanti argumenti amplitudinem nequaquam par attulisse ingenium videbor , ei vt nihil refragor , ita quod me consoletur , fuerit , quod in magnis voluisse sat esse , æquissimi quiq; statuunt. Atque ego , si in altero peccandum fuerit , ineptus quàm ingratus dici malim : quippe in quo vitio omnis vitiorum turpitudine insit. Reliquum est , vxor vidua , liberi , propinqui , familiares , nosq; in vniuersum è saluberrimis Christianæ doctrinæ remedijs luctus vim atq; acerbitem leniamus ac sanemus : & cùm tam præclare vitæ suæ cursum Bernsteinii confecerit , idq; iam in cœlesti beatitate ab immortalis Deo præmiũ reportet , quod sacrae literæ piè & sanctè morientibus promittunt , tantum decus cùm nobiliss. Bernsteinia domui , tum reliquæ Mysorum nationi , deniq; communi patriæ Germaniæ gratulemur , & pro suo quisq; modulo
ad idem

Iohan. Christoph. à Bernstein.

ad idem nos exemplum componamus : eundem immortalem Deum religiosa & supplice prece in vota vocantes, vt Bernsteiniam familiam multos in annos saluam atque incolumem præstet : hocq; Mysniam, hoc reliquam Germaniam respectu dignetur, vt semper illa IOHANNIS CHRISTOPHORI quàm simillimos, id est, opt. ciues gignat.

D I X I.

Epicedium

IN OBITVM STRENGVI, ET
NOBILITATE GENER. SAPIENTIA,
virtuteq; amplifs. viri, Dn. IOHANNIS CHRISTOPHORI A' BERNSTEIN, in Borten, illustrifs.
Elect. Saxon. Consiliarij, &c.
scriptum

AD FILIOS, E' NOBILITATE
LITERATA PRAECIPVOS, A' PETRO
ALBINO Niuemontio, profess. publ. in acad.
Vuiteberg.



*M*ota viri est pietas, qui stirpe è Nephthalis ortus,
Pertulit in Medis fatalia vincula terris,
Quà Nini celsam rexit Salmanasar urbem.
Hic festo dapibus solenni ritè paratis,
Iamq; ministerio seruorum cinctus, amicos,
Ferculaq;, & cyathos liquit, fratrumq;, sepulcro
Ossa legens, genio ius prætulit exequiarum:

G 3

Præ-

Epicedium scriptum in obitum

*Premiaq̄ accepit : Nam lumina nescia Solis
Illita felle Deus post tadia longa sercnat,
Tadia, quæ dederant opprobria stulta suorum,
Agnatiq̄ leues, morosaq̄, nupta loquendo.
Nato idem bona fata tori sortemq̄, benignam
Conciliat. Sic semper habent sua premia iusti.*

*Ergo Deo hæc pietas non displicet, edere fletus
Funere amicorum, atq̄, aliena in morte dolere.
Quò magis est sacrum, gemitus dare sorte sub ima
Sanguinis agnati, seu qui nos edidit auris,
Editus aut nobis, aut fratrum nomine gaudet.*

*Quin ea non tantum est pietas, deslere sepultos,
Corporæ iniectæ mollis tegere aggere terra :
(Quod quicunḡ, facit, factum exhibet ille benignum)
Sed, quanta esse potest, hinc maxima cura sepulcro
Et questus honos impenditur artibus atris
Ambitione pia : quia sanctè credimus, illa
Illa quidem, somnus quæ nunc grauis occupat, ossa
Viua fore, ossa sua, haud alia circumdata pelle.*

*Namq̄, quid est aliud, candore nitentia claro
Lintea funeribus quod passim obtendere mos est ?
Quid sibi saxa cauata, quid aut emblemata saxis
Sculpta volunt ? nisi quod non mortua, sed data somno,
Quæ terræ inferimus, profitemur corpora : Et olim
Flore nouo, imò omni mage florida flore futura,
Hospita cùm reditura anima est ad viscera, & alti
Quando habitata prius repetent collegia sensus.*

*Ergo macæ animis fratres, vos lumina gentis
VRSINÆ, qui iusta patri celebratis honestis
Ritibus, Assyriæ miscentes balsama myrrha,*

Ponen-

Iohan. Christoph. à Bernstein.

Ponentesq; locis noua Mausolea sacratis.

Ille quidem excelso positus sub limine cæli
Non eget officijs istis, non munere vestro,
Diag; sola inhiat, terrestriaq; omnia liber
Despicit ex alto : sed vos exempla secuti
Credentum, ob fidei dotem quos pagina laudat,
Testatum facitis fidei de pignore vero,
Deq; graui affectu, quo viuum in honore parentem
Legitimo primis venerati sitis ab annis.

Semper verus amor, caris viduatus amicis,
Vno animo lacrimas & gaudia suadet eodem.
Gaudia, cùm fidei perpendit præmia Olympo,
Sed lacrymas, cùm cara rapi sibi pectora sentit.

Credibile est igitur non solum vestra dolere
Lumina, ob ereptum properato funere patrem,
Sed gratari animos vestros noua gaudia functo
Curarum inuolucris, & tristi turbine rerum :

Quem modò cælicolùm comitantur mille cohortes,
Vt quondam hunc cinctum legionibus Africa vidit,
Cùm sacra pro lege Dei iusta induit arma,

Magnanimos imitatus auos : te, ALBERTE, probatum
Heluetijs : te, PETRE, feros qui Marte Bœmos

Sustinuisti vnus, ceu murus ahencus ora,
Cùm tibi germanos nece sustulit Ausiga ternos :

Te carum Regi, quo Pannona terra superbit,

Matthia, & qui terror eras, GVILIELME, Scytharum,
Cum fratre auratum cui nexit fibula calcar,

Quemq; tot officijs coluit Podebratius heros :

Quiq; VVIGOLDE domas Sudeto in vertice Cacum :

Tum VVALTHERVM illum, qui parui ad flumina Gense
Argenti

Epicedium scriptum in obitum

Argenti reperit veteri sub monte metalla:
Nec non Bernsteini clarum fundamine IANVM:
Quiq; Ducem Albertum Syrias comitatus ad oras,
Fatum obiit Cypri, IOHANNES nominis alter:
Quis nescit Frisio celebratum Marte GEORGVM?
CHRISTOPHORUMq; Equitē, Solymas cui visere terras
Religio & cari persuasit Principis ardor.
Cuius (quā lingua fuerit quāmq; utilis armis)
Pannonica atq; Itala virtus est cognita genti,
Nec minus huic proceres & tellus Mysnica debet.

Sed vix me teneo, quin vestri stemmatis ortum
Plenius ascribam: primaq; ab origine texam,
Quot claros pietate viros, quot fortibus ausis,
Quot rubea insignes mitra, lauroq; quot aureo
Ense, genus vestrum tulerit, patrieq; dicarit.
Sed propero, atq; isthac magis ad solenne referuo
Tempus, ubi officij quod nostri est, plura canemus.

Ad patrem vestrum redeo, de quo mihi carmen
Nascitur. Is cum annis natus duo lustra duobus,
Christophoro orbatus, quem diximus antē, parente:
Tum tibi Saxonidum non ultima fama, Georgi,
Fida ministeria atq; addictos mille labores
Prostituit: quem deinde Rheni stirps alta Philippus
Dignum armis duxit scuto frameaq; potitum.
Nec secus hunc ornat Ducis inclyta cura Borussi,
Donec ad Algerium tibi, Carole Quinte, probatum
Virtutis specimen sub honestis edidit armis.

Inde sibi Hersfeldam thalamo coniunxit Elisam,
Cum qua concordi studio sex lustra peregit:
Et sorte eximia & generosa prole beatus:

A qua

Epitaphium

A qua praesidium & famam sibi patria sperat.

*Mox ad consilium regni soliumq; supremum,
Diue AVGVSTE, vocas, meritis & honoribus auges.
Qua non parte fides, non rerum sedula cura
Defuit officijs, ratio non dextera agendi.*

*Tandem ubi primus amor viduatam compare lusit,
Esdorsam socians casto sibi foedere nympham,
Vndena proli ternam superaddit, & annis
Octo lustra decem iungens hominem exiit. Huius
Membra quidem tumulata solo, sed maxima virtus
Orbe volat, viget aura polo: Natiq; beatum
Arte & honore patrem & proavos nunc vincere tentant.*

*Sed memoranda tibi haec melius, REINERE, relinquo,
Qui genus egregium cum gestis rebus & annis
Ut rite erueres, pridem non deside penna
Multa laborasti: tibi cursu hanc lampada trado.*

Epitaphium.

PATRIS auig; tenens (Iani Christumq; ferentis)

*Nomina Bernsteinus, conditur hoc tumulo.
Qui prisca laudata sequens vestigia stirpis,
Gloria Mysorum nobilitatis erat.*

*Lene iuventutis non segnis duxerat avum,
Sed patriae fidam saepe probat opem.*

*Virtutis specimen cum primis edidit altae,
Quintus ut obsedit Carolus Algerium.*

*Inde Deo & patriae vixit cum pace, suig;
Stemmatis vt minimum noluit esse decus:*

H

Sic in

Aliud Epicedium in obitu

*Sic in vita omni grauis, integer, equus, honesti
Cultor, iusticiae, iuris amansq; fuit.
Vno hoc nemo magis fraudesq;, dolosq; perosus,
Antiquam coluit cum probitate fidem.
Consilia ad nutus haud flexit cerea regum:
Pectore sed statuit quod prius, ore dedit.
Adde rei hunc propriae poteras quod rite gerentem
Dicere, namq;, acer desidia osor erat.
Quod caput est, verae cultor pietatis adhaesit
Christe tibi, & verbo credidit vsq; tuo,
Vsq; tuo innixus merito: qua deniq; vitam
Clausit, & ascendit caelica tecta fide:
Egregiamq; animam diuino lumine septus
Iudicis expectat tempora leta Dei.*

Aliud Epicedium

ET GENERIS SPLENDORE
ET VIRTUTE VERA NOBILISS. viri,
IOHANNIS CHRISTOPHORI A BERN-
STEIN, in Borten, illustris. Saxon. Ele-
ctoris Consiliarij, &c.

*S*emper acerba dies, semper veneranda, Calendas
Proxima quae Iani sequitur: namq; illa IOHANNI
CHRISTOPHORO fatalis erat, qui semine cretus
Bernstenio, proauos virtute equauit, & astra
Laude subit, supera nomenq; sacrauit in arce.
In patriam cuius benefacta, obliuio nulla,
Temporis aut longinqua potest abolere vetustas.

Excute

Iohan. Christoph. à Bernstein.

Excute Bernsteniæ sublimia nomina stirpis,
Antiquos prisca reuocans ab origine, Martis
Heroas studijs claros, studijsq; Mineruæ,
Virtutis solidæ innumeros mirabere testes.
Bernstenij, Heluetijs gens non ignobilis oris,
Seu vulgo insano patriam turbante tumultu,
Inq; suas clades (nec enim fert frena) ruente,
Seu belli studio, grataq; cupidine laudis,
Sedibus exciti, externas seu quarere terras
Augurijs pulsî Diuûm, fatisue secundis,
Misniacis sedem terris fixere, sed agros
Montibus inclusos, pars obsedere Boemos.

Primus in egregijs Albertus fortiter armis
(Nocte alij ignota latitant, chartisq; silentur
Nomina, vate sacro quoniam caruere, sepulta)
Edidit eximia specimen virtutis, ad urbem
Cum Tiguri Guelfus, regnis opibusq; superbus,
Effigiem belli, certamen equestre, ciëret.

Pro patria inuicta virtute, Vuilhelmus in hostem
Dum ruit, immanesq; Scythas, totamq; trahentem
Sarmatiam, dulcis percussus nomine laudis,
Praclarè occubuit: ne belli incendia nostros
Vastarent agros, cadem quando Vngarus illa
Parte minabatur, hac Sarmata tenderet arcum.

Quid memorem fratres? scui tria fulmina Martis,
Corpore, Zechiadum qui tela furentia, vimq;
Immortale breui pacti pro funere nomen,
Excepere suo, bisseua ubi millia vicum
Preslicium iuxta fato cecidere cruento:
Heu nimis infaustè lucem Misnensibus ortam.

Aliud Epicedium in obitu

Vicit iter pelagi terrarū, & mille labores,
Felices quondam, sed nunc sub iure tyranni
Threicij afflictas miseranda sorte, IOHANNES
Accedens Solymas, & Christi nobile bustum.
Italiam Romamq; adiit, Venetumq; senatum,
Corcyram, Cretamq;, & in equore Cycladas alto,
Illustremq; Rhodum, Cyprumq; & mœnia Betles,
Et qua, quas oriens habuit, non clarior urbes
Inter erat, nunc aqua solo, diuisaq; saxis
Saxa iacent, veterum facies neq; certa locorum est.
Iamq; iter emensus, reditum dum tentat, ad ipsam
Occubuit Cyprum, exequias cui soluit acerbas
ALBERTVS, DEXTRA IMPERII, Frisysq; tremendus.

Fidentem latebris, Sylvaq; horrente, VVIGOLDVS
Edomuit Vuitichen, sinuosa ad flumina rubra
Muglicia, celsas latronis uertit & arces.

Quâ roseus pulchro se matutinus ab ortu
Sol reddit terris, pelagi quâ conditur undis,
Nescia CHRISTOPHORI nulla est plaga: namq; secutus
MATTHIAM, Vngaricis qui fluminis instar ab oris
Effusus, latè terrarum terruit orbem,
Intrepidè medios victor volitabat in hostes.
Parthenope nouit, quo Gallos robore, toto
Exuerit regno: Gallos, qui mente sinistra
Italia affectant, sed non cum numine, habenas.
Nec minus Henricum (Vuidekindi stemmate natum,
Quem Frisia trepidabat humus, qui Marte feroci
Eximie prestans, paci magis utilis, oris
Misniacis rursus cœlestis lumina verbi
Intulit, humanæ mentis commenta perosus

Impia

Iohan. Christoph. à Bernstein.

Impia, Pontificumq; dolos, fraudesq; nefandas)
CHRISTOPHORVS sanctam Solymes comitatus ad vr-
Balteo inaurato phalerisq; insignis, & ense (bem,
Conspicius nitidisq; redit calcaribus. Olim
Non nisi qui pareret dextra victrice, trophaeum
Occiso hoste ferens, istis insignibus, isto
Dignus honore fuit: neq; vera parabilis auro est
Nobilitas, & verus honor: qua tempore nostro
Vendibiles prostant: pereunt cum tempore mores.

Prætereo reliquos, quorum maiore canenda
Facta sono, neq; vocis egent neq; carminis huius,
Purpurea illustres mitra & calcaribus aureis.
REINERVUM hi poscunt, qui nunc spaciatur apertis
Historie campis: paucis perstringere nostrum est.

Vt verò reliquas illustri lumine stellas,
Et radijs superat formosi Orionis astrum,
Cum clava armatus, metuendus & ense, sereno
Aethere, cum longo secum agmine sidera ducit:
Aut leo flauentesq; iugas, caudamq; minacem
Concutiens, cælo generosos exerit ignes,
Oppositus soli liquido cum fulget Olympo:
Sic alios rerum fama, sic laude IOHANNES
CHRISTOPHORVS (procul inuidia sit pestis, acerbe
Obliquis cernens hircus aliena, sibiq;
Plus iusto indulgens, & non sua carpere sucta)
Præterit, & titulis maiorum clarus & usu,
Et meritis, animiq; bonis, & pectore forti.
Mille vices subiit, casusq; exhaust ad urbem
Algerium, CAROLVS cum ventos Caesar & imbres
Aduersos sensit, tempestatumq; procellas,

Aliud Epicedium in obitu

Cùm vitam miserè, peregrino in littore agresti
Vescentes radice, & equina carne, trahebant.
Qualis erat Roma, quem fecit gesta seuerè
Insignem censura, Cato, bellig., domusq.,
Gnarus & agrorum, & dicendi haud nescius artis :
Talis Bernstenius Martis fera castra perosus,
Militiamq., vagam, cui florem impenderat aui,
Pacis opus tota complexus mente, regebat
Publica consilio prudenti, animoq., fideli
Commoda, propositi rigidus seruator honesti
De re pauca loquens, inerant sed pondera verbis :
Vel Cyri exemplo post seruitura nepoti,
Poma manu facili, doctaq., serebat ab arte,
Diuitias iustis augens prouentibus, hortus
Quas sine fraude dabat, vel ager : quæ vita beata est,
Ad seros durant quia parta labore minores.
Nec verò arbitrio suffragia flectere doctus
Principis, aut vanum fictis captare fauorem
Blanditijs (vincit rectè qui tendit in hostem)
Sed velut aqua pari premitur cum pondere libra,
Hanc neq., dependet partem, neq., pendet in istam :
Aut veluti certos immoto tramite cursus
Semper habet Phæbus, medium neq., deserit orbem,
Cetera inæquali gressu irrequieta feruntur
Sidera, nunc madidum propius spectantia ad Austrum,
Nunc Vrsam : & motum celerant rursusq., retardant :
Sic illo haud alius quisquam reuerentior equi,
Nec meritis grauior, nec pectore maior aperto.
Si quid erat, patriæ quod non impenderet, ocij,
Ipse docentis agens partes, curamq., magistri,

Instrue-

Iohan. Christoph. à Bernstein.

*Instruere aut sobolem, doctasq; accendere ad artes
Assidue, aut magni percurrere scripta L V T H E R I,
Quoq; huic non propior studijs, pietate, P H I L I P P I.
Sic igitur tenues quanquam discedit in auras,
Et redit in terram, quod terra erat antè, solutum,
Pars potior superest, diuinæ particula auræ
Spiritus, & totum quæ gloria compleat orbem.*

*At vos Bernsteinij, non infitianda parenti
Defuncto soboles, flos nobilitatis, & ingens
Spes patriæ, generisq; decus, quibus aqua benigno
Numine fata fauent, quos dulcem exempla suorum
Ad laudem instigant, & gloria nominis ampli
Indubitata manet, nunc fas abrumpere questus.
Est pietas deflare suos, quos funere acerbo
Mors rapuit, turres æquo pede & atria regum,
Teetâq; vix tenui mapalia carice, pulsans.
Nam teneras animis flammâ immisit amoris
Rerum opifex, causam risus, causamq; doloris.
Non minor est pietas, certa ratione modoq;
In lacrymas solui: neq; enim mors omnia tollit,
Nec damno cuiquam est, qui Christi sanguine mundus
Innocuam duxit turpi sine crimine vitam.
Nam cælo, Christi sed munere, gaudia nunquam
Auribus hausta oculisue, humano aut pectore, sentit.
Nunc quoq; cælicolas inter, mensasq; beatas,
Humanos, Genitor, luctus, sortisq; malignæ
Instabiles ridet casus, malâq; omnia vitæ,
Et sobolem gaudet, sua per vestigia pulcrum
Ad decus, & laudem ferri virtutis auitæ.
Debita pars morti corpus, tellure quiescit,*

Dum

Aliud Epicedium

*Dum sese excelso demittat ab aethere Rector
Cœlicolũm, inſto totum qui examine mundum
Iudicet, hos cœlis, illos ſed deſtinet Orco.
Tunc anima rurfus iungendum corpus, ad auras
Aethereas ſurget, liquidis fulgentius aſtris.
Interea placida compoſto pace, moleſta
Ne ſit terra, roſæ cineres & amaracus ornent,
Accubet ad tumultum Virtus, & Gloria. Salve
Aeternũm, magni ſalve nouus incola cœli,
Donec poſtremam roſeis aurora quadrigis
Afferat orta diem, ſinemq̃ laboribus addat.
Aduentus ne, Chriſte, tui ne protrahe lucẽm,
Nulla ſalus terris, cœlum te poſcimus omnes.*

Michaël Boiemus Pir-
nenſis F. M. D. X X C I.
Torgæ.

Appen-

Appendix.

FACTA est à nobis in Oratione mentio mortis Iohannis Abrahami, Iohannis Christophori F. Eam cum academia Vuiteberg. vbi tum puer mecum viuebat, honorificè celebrârit, & suos addiderit versus epitaphios Petrus Albinus, per idem tempus conuictor noster, nunc Professor publicus, & illustris. Electoris Saxon. historicus, vtrunque scriptum subijcere hoc loco visum fuit. Aliquot annis antè, hoc est, cum academia Ienensis nos ciues haberet, scripsit in familiæ Bernsteinia insignia, deq; eadem Fastos nostros, quos è diplomatis, & id genus alijs monumentis, collegissemus, ac tum fortè absoluissemus, doctum & luculentum carmen Fridericus Vuidebramus, tunc in academia illa Poëtices Professor, modò Doctor Theologus. Quare neque hoc omittendum duximus, vt neq; recens Albini epigramma. Placet enim, quod Cicero in epistolis libellum Xenophontis de Agesilao Spartiate commendans, hunc in eo rege, qui alioqui neq; pietam neque fictam imaginem suam esse passus fuerit, laudando, faciliè omnes imagines omnium statuasq; superasse, ait. Tuum fuerit, candide lector, studium nostrum, quod ex officio debebamus, in bonam partem accipere, & instituto illi fauere benignè.

I

RECTOR

RECTOR ACADE-
MIÆ VVITEBERGENSIS,
Vitus Ortelius Vvinsemius filius,
I. V. Doctor & Pro-
fessor.



ERANTIQA est, & non solùm à generis nobilitate, sed & rebus fortiter gestis celebrata, familia Equestris BERNSTEINIORVM, quæ & longa serie maiores suos inde vsque ab ætate Friderici Barbarossæ numerat, & multa habet illustria exempla & documenta virtutis, sapientiæ, & meritorum in reipub. Vettiora nunc vt referamus, opus non est. Patrum memoria claruere fratres germani, PETRVS & CHRISTOPHORVS, quibus geniti patruales sunt, qui præcipuum hodie dignitatis locum in senatu illustris Ducis & Electoris Saxonie, Augusti, Domini nostri clementissimi, obtinent. Petrus cum generis splendore etiam literarum atq; eruditionis rara decus coniunxit, & cum Iuris atq; legum Doctor esset, Boguslai, Pomeraniæ, & Georgij, Saxonie Ducis, aulæ suis consilijs feliciter rexit. Christophorus cum Henricum, Saxonie Ducem, illustris Electoris nostri patrem, in longo atq; difficili itinere Hierosolymitano comitatus fuisset, illud militare insigne atq; ornamentum virtute consecutus est, quod viris nobilibus & summis monarchis in testimonium virtutis atque rerum gestarum decer-

decerni ac conferri solet, vt Equites aurati sint & vocentur: quæ quondam dignitas in ordine militari fuit tanta, vt ne Regibus quidem vsurpare eam, nisi virtute acquisiuisent, concessum fuerit. Idem Christophorus postea & Regibus duobus, Matthiæ Vngariæ, & Ferdinando Arragonio, Alfonsi F. contra Gallos, *Hæc parentibus misisa verba c locari cum * in margine debebat* Carolo V I I I. Gallorum, in bello Neapolitano Tribuni dignitate militauit. Is præter alios liberos superstitem reliquit filium, IOHANNEM CHRISTOPHORVM, qui maiorum vestigia secutus, magnitudine prudentiaq; animi, multoque rerum vsu ad eum gradum dignitatis peruenit, quem hodie magna cum laude, atq; approbatione omnium, tenet, idque sibi propositum in actionibus semper habuit, vt non plus accepisse splendoris à maioribus, quam ipse posteris reliquisse videatur. Bellicæ rei studio quanto iuuenis flagrârit, Carolo V. Imp. in difficilima ad Algerium expeditione declarauit. Ab eo tempore & reipub. operam dare non desijt, & priuatim suam rem bene gerens, liberos & familiam omnem ad pietatem, omniumq; virtutum decus expetendum, non voce solum sua, sed & exemplo incitauit & assuescit. Quanti literarum studia fecerit, eo ipso testatus est, quod in hac academia liberos suos rectè erudiri ijs artibus atque disciplinis voluit, quæ cum nobilitatem ipsam, tum vniuersam hominum societatem ornant & muniunt. Atq; ex his ante decennium tres, nunc duos hîc in literarum studijs aluit, quorû natu minimus, IOHANNES ABRAHAMVS, præstantis indolis atque spei puer, cum duodecimum annum nuper ingressus esset,

& anno superiore ex Lipsica academia huc missus, semina morbi iamdudum circumtulisset, nudius tertius præter opinionem suam & aliorum, nullaq; antecedente manifesta causa, epileptico paroxysmo correptus, eoq; sæpius recurrente ita debilitatus est, ut nocte infecuta vis morbi naturam alioquin imbecilliorum, nec vlla remedia admittentem, superârit. Itaq; expiravit ille tum placidissimè animulam suam, & reddidit creatori atq; redemptori suo, Filio Dei, Domino nostro Iesu Christo, quem dum vixit, religiosa pietate, inuocatione, modestia, & virtutibus omnibus, quæ in eam ætatem cadere possunt, coluit. Cumq; ingenio excelleret, non solùm auide didicit literas, sed & præclaræ frugis spem de se parentibus concitavit. E quibus cùm matrem nuper cum sorore amiserit, patrem superstitem subita & immatura morte summæ spei filiolii in maximum luctum coniectum esse, dubitari non debet. Sed moderetur ipse dolorem suum cogitatione dulciss. vocis Filij Dei, qua paruulos blandissimè ad se inuitat, & mandat, ut ad se adducantur, & hos sibi curæ, certosq; esse hæredes vitæ æternæ, pronunciat, inquiens: Non est voluntas Patris, ut pereat vnus de paruulis istis. Non igitur casu extinctum esse hunc filium suum statuat pius parens, nec amissum penitus, sed præmissum potius in vitam illam beatam & cœlestem, vbi nunc in osculis & amplexibus Filij Dei hærens, sapientia & læticia fruitur perpetua.

Huius verò sanctæ animulæ exuuijs funus fiet hora XII. ad quod honorificè deducendum, ut scholastici nostri frequentes conueniant ante ædes D. D. Crucigeri

geri hortamur. Idq; pietatis Christianæ officium, quod defuncto à nobis postremum præstari potest, & humanitas ipsa flagitat, etiam honoratæ ac nobiliss. familiæ ipsius, quæ de ordine nostro semper bene mereri studuit, iure quodam nos debere existimemus. P. P. I X. Calend. Martij. Ann. M. D. L X X V.

In funus immaturum

NOBILITATE GENERIS
& præclarissima indole præstantis adolescentuli, IOHANNIS ABRAHAMIA
BERNSTEIN, DN. IOHANNIS CHRISTOPHORI, viri strenui & nobilis, &c.
filij, qui placidè obijt Vuitebergæ XI.
Cal. Martij, hora XI. noctis,
Ann. M. D. L X X V.

S I veterem sentis etiamnum in morte dolorem,
Nunc quoq; flebilibus luge, Hyacinthe, modis:
BERNSTEINÆ stirpis pulcerrimus aruit, *ai, ai,*
Flosculus, equali fato Hyacinthe tibi.
Immodicus Phæbi te perdidit ardor, & idem
Abramum in studijs debilitavit amor.
Sed quid fiet enim? lolium quæ fata manebunt?
Quæ scabras lappas? quæ rigidos tribulos?
Sortem infelicem quam carduus asper habebit?
Si data sunt pulcris tam fera fata rosis.

Aliud Epicedium.

*Talia si obueniunt violis beneolentibus, à, à,
à: meliora abeunt, deteriora manent.
Tu tamen ad primos qui flosculus occidis Austros,
More rose, aeternum viue virensq; vige:
Me nisi fallit enim veracis Apollinis omen,
Scripta tua aeternis nomina erunt folijs.*

A L I V D.

Defunctus de se.

*M A G N A parentis eram & spes nobilis inclyta stirpis,
Matris amor, poteram non tamen esse diu.
Inuida me subito ceu turbine fata premebant,
Ne sponsa posset crescere laudis honor.
Aetas si me iusta virum, & matura tulisset,
Auxissem titulis stemmata prisca nouis.
Indolis egregia nunc gloria lapsa per umbras
Ingemit, indigna sorte coacta queri.
At tu Christe pia teneram qui voce cohortem
Allicis, in gremio me quoq; siste tuo.
Da, paulò ante obitus hilari quod mente precabar,
Ut later vultus blanda anima ante tuos.*

Petrus Albinus Niuemon-
tius conuictori caris. S.

I N I N -

IN INSIGNIA NO-
BILIS FAMILIAE
à Bernstein.



ISTE refert clypeus gentilia symbola stirpis,
Cui dedit Vrsinus nomina prisca lapis.
Arduus ingrediens splendentis in aequore campi
Terribiles Vrsus fulminat ungue minas.

I 4

Candida

In insignia nobilis

Candida quem cingunt atris emblemata flammis,
Vrsa supra galeam dimidiata sedet.
Robur inest Vrsis & corporis impetus ingens,
Quem natura tamen cum ratione regit.
Mortua qua genuit, lambendo corpora format,
Dum patrium referant effigiata genus.
Victus ei mundus, non vlla cadauera gustat,
Inter apum stimulos rosida mella legit.
Spiritus ingenijs heroicis insitus altis
Vr sinum quiddam, ni reprimatur, habet.
Quem si nobilitas quoq; viribus insuper armat,
Vt foris accedant gratia, splendor, opes:
Degenerem generi temerarius edit abortum,
Atq; voluptatum pabula fœda legit.
Sin doctrina genus, robur, sapientia format,
Iuncta virum virtus cum ratione creat:
Turpia qui fugiens, normamq; secutus honesti,
Inuidiæ patiens tela sinistra ferat:
Candida quem recti fortuna pedissequa, nec non
Gloria virtutis cingat amica comes.
Talia Bernstenidum priscis tutatur ab annis
Signa suæ gentis nomine reg; domus:
Non opibus tantum, fundis & sedibus amplis,
Aut tumida generis nobilitate potens.
Quæ prius Heluetijs inclaruit, inde Bohemis,
Lataq; Mysnenses nomine complet agros:
Verum quam studijs artes & fortibus ausis
Militiæ celebrem dextra probata dedit.
Hinc sibi Doctores tulit, hinc Ecclesia mystas,
Mille graues lecti Regibus inde duces.

Alber-

familiæ à Bernstein.

*Albertus Tiguri certamine clarus equestri,
Ludicra spectato prœlia Marte dedit.
Tartaricas fundens acies sub rege Mathia,
Victor in hostili clade Guilhelmus obit.
Petrus ab Hussitis obsessus in arce, vel vnus
Afferuit forti patria castra manu.
Sancta Palaestinae lustrans monumenta Iohannes,
In Cyprio clausit fata suprema mari.
Extitit illustris Vuitrichi cade latronis,
Ipse sibi iussus ferre Vuigoldus opem.
Christophorus linguis prestans, prestantior armis,
Regibus in summo semper honore fuit.
In Frisios ducens hostile Georgius agmen,
Prestitit Alberto commoda multa Duci.
Natus & hinc heros, stricto quem territus ense
Vidit, & obiecto fugit ab osse, leo.
Plurima sanxerunt alij donaria templis,
Cura quibus pietas relligiosa fuit.
Nulla tot auratos equites tituloq; potitos
Doctrinae proceres nobilis aula tulit.
Quos qui nosse volet, compendia docta Renecci
Pellegat: hac merces magna laboris erit.
Christe tot Vrsinam tutatus secula gentem,
Bernsteinam clemens porrò tuere domum:
Vt quoq; posteritas exempla secuta parentum,
Quod Deus atq; salus publica mandat, agant.*

Fridericus Vuidebramus.

IN



IN E A D E M.


*MIT IS hic est Ursus, rectoq; incedere vultu
More hominum suenit: Ne fugite hinc homines.
Omnes humanos decet esse: At propria stirpis
Bernstenia virtus est, placido esse animo.*

Petrus Albinus Niue-
montius.

L I P S I Æ,
Imprimebat Ioannes Steinman.

A N N O

1 5 8 1.



sibi

m à

ar-

am

otijs

nci-

ten-

ab-

uit.

in

X 2425129





№ 4

№ 4



Inches

1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19

Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

Oratio

FINATA

NOBILISSIMI,

TEQ; ET VIRTU-

IOHANNIS CHRI-

I A' BERNSTEIN,

, ex equestri vetustis.

issimæq; nationis

orum ordine.

omus Bernsteinia

res gestæ præcipuæ,

hannis Christophori,

ter delibantur.

cñ, perpetuæq; ob-

stantiæ ergò

à

REINECCIO

NHEMIO.

lipsiæ.

L 1266 (6)